enim extra ſe operatus eſt, quod non præſtiterit homini, eouſque ut ſeipſum quoque inter opera ſua adnumerari voluerit ſeſe hominem faciens, ut totum ſe illi devoveret. Cor ſuum illi tradidit, quoniam hæc una ex creatis rebus eſt, cui magnum illud amoris præceptum irroget, a qua totum cor petat, & cui totum cor ipſe largiatur. Quam felix igitur eſſet anima, ſi ſuam cognoſceret felicitatem! Nonne hæc una cogitatio omnia Mortalium corda poſſet inflammare? *P. D'Argentan Capuccinus in Collationibus ſuis de Magnalibus Dei, Collatione 27. de Zelo, quem habet Deus pro animabus noſtris.*

Proh Deus! quanam perfundi lætitia opus eſt, animam illam, quæ ſcit, ſe Dei amorem mereri, & ſibi a Deo tantum meriti tribui, ut ipſam diligat! Quænam vero illi cedit gloria, cum ipſam ad zelotypiam uſque diligat Deus, non ferens, ipſam ab alio quoquam poſſideri, quaſi cenſeret, non alium præter ſe dignum eſſe amatorem illius! Verumne igitur eſt, anima mea, te tanta frui felicitate? Verumne eſt, te dignam eſſe, quam tanta dilectione Deus proſequatur, ut te ab alio quopiam poſſideri non ferat? Intelligiſne magnam hanc felicitatem? Percipiſne eximiam hanc veritatem? O beatos nos, ſi hanc, uti par eſt, perciperemus! poſſemuſne oculos habere ad objectum aliquod intuendum, vel dilectionem aliquam ad aliud quidpiam amandum præter hanc infinitam Majeſtatem, tanta propter animæ noſtrę pulchritudinem zelotypia flagrantem? Nonne creatis quibuſcumque rebus, quę lenociis, illecebris, pollicitatiunculis amorem noſtrum delinire ſtuderent, dicere deberemus quod olim Beata Agnes illis, qui ſpeciem ipſius deperibant? *Diſcede a me pabulum mortis, quia jam ab alio amatore præventa ſum. Idem.*

Quid de ſemet ſentire debeat anima, videns a Deo tantopere amari.

Quænam ergo eſt hujus animæ natura, ut ſic Deus eam tanta dilectione digneris? Nonne educta eſt ex nihilo, unde cætera quæque eduxiſti? Nonne toto cœlo diſtat a te, quantumvis cæteris creatis rebus nobilitate antecellat? Nonne ſemper liquido conſtat, hanc, cum ex nihilo prodierit, per ſe nihilum poſſe? Quam mirum igitur hoc privilegium eſt, ut cum nihil eſſet, tu adeo nobilem, atque excellentem effeceris, ut ipſa omnipotentia tua nihil producere poſſit, quod illam valeat explere! Hæc infiniti boni poſſeſſionem deſiderat, quam ſe capere poſſe cognoſcit. Tu vero, bone Deus, temet illi tradere dignaris ejuſdem bonum, ac poſſeſſio in omnem æternitatem futurus. O anima mundi hujus illecebris decepta! quouſque te abjicis, ac demittis, ubi aliquid Deo minus inquiris? Nonne majori erga Deum zelotypia flagrare deberes, ſi fieri poſſet, quam Deus flagret in te? *Idem.*

Quemadmodum Cæſar ſuam imaginem repetit, ita & Deus ſuam, Sanctus inquit Auguſtinus, eamque repetens a te repetit animam tuam, ſimilitudinis ſuæ lineamentis notatam; ac animam repetens totum te repetit, quoniam totus homo Dei imago eſt. Duplici autem jure imaginem hanc repetit JESUS CHRISTUS; cum enim nos ad imaginem ſuam efformaverit, jure utitur ſuo id repoſcens, quod nobis tradidit; ſecundo quod cum prima hac dignitate excidiſſemus per primi hominis peccatum, & alia ſcelera, quæ nos ipſi adjecimus, iterum per gratiam, ſanguinemque ſuum delineavit in nobis priorem illam imaginem, quam peccatum prorſus deleverat . . . . . Occurrunt quidem non pauci, qui Deo reddere videntur, quod Dei eſt, ejuſque imaginem in anima gerere, quippe qui multa pie agunt, atque exteriorem Religionis cultum diligunt; Verumtamen ſi introſpiciantur, atque penitiores cordis eorum latebræ excutiantur, tunc ipſos mirum in modum adhærere mundo, immodicam ſeſe provehendi ambitionem fovere, nullam ſalutis ſuæ curam gerere, omniaque libidini, & jactantiæ ſuæ ſacrificare innoteſcet. *Liber cui titulus, Chriſtiana Documenta &c. ... pro 22. poſt Pentecoſten Dominica.*

De Animæ nobilitate ac præſtantia.

Certum eſt, animam noſtram adeo eſſe præſtantem, ut creatis quibuſcumque rebus antecellat. Deus illam ſupra res cæteras extollere dignatus eſt; ipſa ad imaginem Dei creata fuit, S. Auguſtinus inquit, ipſa de ſinu Dei tot perfectionibus cumulata prodiit, ut inter hujus mundi res primum obtineat locum, & creaturæ aliæ pro eadem tantummodo efformatæ videantur, ut ex earum collatione, tamquam ex appoſitis umbris animę decor magis magiſque eluceret. At majorem illius perfectionem gratia conſtituit; per hanc vivit, hæc illi eam pulchritudinem imperat, quę Dei oculos, & amorem ipſi conciliat: Hæc quidem animæ gloriam conſtituit; at peccatum illam pudore, & erubeſcentia ſuffundit. *P. Girouſt.*

Ut liquido oſtenderetur anima humana ſpiritualis eſſe, ſufficeret ſane illud connotare diſcrimen, quod inter humani corporis, & animæ productionem interceſſit. Cum Deus hominem condidit, ad hoc opus efformandum lutum accepit; inde effictum corpus eſt materiale; at ubi animam creavit, *inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, in hanc terræ maſſam inſufflavit, eique ſpiritum ſuum communicavit. Itaque cum anima ſit Spiritus Divini communicatio, & emanatio, ideoque ſpiritus, luminibus admirabilis, productionibus fœcundus, & in actionibus ſuis univerſalis; Spiritus eſt, cujus natura, & qualitates ad Dei ſimilitudinem efformatæ fuerunt. Cum igitur anima ſit participatio Dei, non ſolum eſt, *Velut umbra divinitatis*, ut ait Tertullianus, ſed ejuſdem imago; ipſa unitatem ſubſtantiæ illius repræſentat, ipſa tres Perſonas tribus ſuis facultatibus exhibet, memoria videlicet, intellectu, & voluntate. Poſt hæc ne mireris, ſi audis, Angelos certatim feſtinare, ut eidem famulentur, & gloriæ ſibi vertere ſi eamdem contra inimicos ipſius protegant, atque tueantur. Quorſum autem? Quia imaginem Divinitatis ſuę inſculptam fronti gerit, quo charactere inſignita Dei ipſius meretur amorem, & miſericordiæ illius in ſe convertit adſpectum. *Idem.*

Anima per peccatum, & flagitia de nobilitatis ſuæ gradu dejicitur, & homo ad brutorum conditionem redigitur, quemadmodum Regius Propheta teſtatur: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt jumentis inſipientibus.* Homo qui Angelis, immo Deo ipſi ſimilis erat, eſſentię ſuę nobilitatem, atque præſtantiam neglexit, ſeſe vitiis mancipavit, atque tunc brutis animantibus ſimilis factus eſt. *Erubeſce anima mea*, S. Bernardus ait. Cur autem? *Divinam in pecorinam immutaſſe naturam.* Erubeſce, quoniam quę divina eras imago, belluina facta es. Cum hæc anima gratia animata eſſet, atque induta, divinę pulchritudinis characterem gerebat; ſed quoniam ſuis ſeſe tradidit affectibus, dæmonis characterem, & bellųę formam aſſumpſit. *Idem.*

A T H E I.

Atheiſmus, Deiſtæ, Impii, infideles, Argumenta Dei exiſtentiam probantia.

M O N I T U M.

Atheorum nomine eos proprie impugnamus, ac refellimus, qui de Religione parum ſollicití liberiori vivendi ratione vagantur, quamvis diverſis nuncupentur nominibus, neque eorum una ſit ſpecies. Hi quidem neque Deum, neque Providentiam agnoſcunt, & omni prorſus Religione carent; qui profecto perraro occurrunt, & ambigi poteſt, utrum in terris ulli hujus viæ extiterint viri. Illi Deum rerum omnium Auctorem confitentur, ſed illum Providentia, atque juſtitia vacuum ſibi fingunt, non aliam præter hanc vitam futuram rati, &

animam una cum corpore interituram exiſtimantes. Alii, qui in Religionis facto Pyrrhonici vocari poſſent, Chriſtianæ Religionis veritates neque credunt, neque inficiantur; ſed hac in re neutro inclinantes operiuntur, donec rem probet eventus poſt ultima fata, interim vitæ hujus voluptatibus perfruentes. Omnibus vero id commune eſt, quod reipſa ita vivunt, ac ſi veri eſſent Athei, omni ſcelerum genere ſeſe coinquinantes, & nullum Religionis ſenſum habentes.

Notandum autem eſt, quod homines hujuſmodi ſuperbia, atque affectuum ſuorum caligine excæcati reliquos in Dei timore, noſtrorumque Myſteriorum fide innutritos exiguæ mentis, & infirmos Spiritus vocant; qua in re non minus ridiculi ſunt, quam impii: & ſeſe Spiritus Fortes *appellant, qui pueritiæ præjudicia abjecerunt, eos exuentes ſenſus, quos ex ipſa educatione imbiberunt, ut ea tantum credant, quæ ſenſibus accidunt, vel quæ ipſi ratione aſſequi poſſunt. Quamobrem cum neque Evangelium, neque Dei verbum admittant, & nihil habeant cum Fidelibus commune, non alio armorum genere, quam ratione cum illis eſt decertandum; quæ etiam unica ratio eſt, qua ad eos evincendos, uti debeant Concionatores.*

Ad hæc notandum quoque, Sanctos Patres parciſſime locutos eſſe de Atheis quales hodie cognoſcimus, eoſque cum Idolorum cultoribus confudiſſe; quapropter pauci ſuppetunt Sanctorum Doctorum loci eorum impietatem impugnantes; nam ab ipſis uſque Chriſtianæ Religionis incunabulis pauciſſimi hujuſmodi opiniones amplexi ſunt, & qui nullum Deum venerabantur, apud Ethnicos quoque in contemptu habebantur. Hoc tamen ſæculo eorum hominum multitudo, qui omni prorſus Religione carent, numero caret; quamobrem Concionatores omnem zeli ſui vim exerunt, ut illos confundant, eiſque horrorem cieant.

P A R A G R A P H U S   P R I M U S.

Structuræ variæ Concionum hujus Argumenti.

I. OStendi poteſt: Atheos, & illos qui eo uſque impietatis proceſſere, ut Dei fidem, & omnes Religionis ſenſus penitus ſuffocarent, damnari. 1. Ad naturæ Tribunal, cujus audire voces detrectant, ubi creata omnia fatentur, Deum eſſe, quamvis illi ſuffragium ſuum denegent, ac in aliam ſententiam concedant. 2. Ad Tribunal Conſcientię ſuę, quę illis interius oſtendit, ſupremum Judicem, ſcelerum ſuorum ultorem non defuturum. 3. Ad Tribunal Dei ipſius, qui propter commentitias eorum difficultates nihilominus illorum Dominus eſt, omnia eorum obſervat veſtigia eoſdem ſeveriſſime judicaturus: qui ubi illos inexcuſabiles eſſe oſtenderit, ſeſe ipſum prodet efficiens, ut ſuæ poteſtatis, atque juſtitiæ terribiles, diuturnoſque experiantur effectus.

Primum Punctum. Ad naturæ Tribunal ergo primum ſunt accerſendi, eiſque oſtendendum, ſtructuram, & ordinem univerſorum, multitudinem, & varietatem partium cœlos, terraſque componentium illis etiam, qui excæcati, ac pertinaciſſimi erant, probaſſe ſupremam adeſſe Poteſtatem, quæ hæc omnia ex nihilo eduxit, infinitamque Sapientiam, quæ ſingula ad ſuum finem perducit. Quod ſi lumen naturale docet, primum unum Ens eſſe, toto cœlo majus, ac ſuperius nobis, docet quoque eſſe debere unam Religionem, qua ille colendus eſt, atque adorandus.

Punctum alterum. Impius, atque Atheus, accuſatur, judicatur, atque damnatur ad propriæ Conſcientiæ tribunal, quæ generatim ſumpta non aliud eſt, quam lumen a Deo animabus noſtris inſculptum, ut ait Propheta: Pſalm. 4. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui.* Hoc autem lumen interius, quod eodem in ſenſu appellatur Syndereſis, nos peculiariter de noſtris officiis, antequam quidquam aggrediamur, erudit, corripit, arguit, atque ſecretis exprobrationibus condemnat, ubi ſupremi hujus legiſlatoris mandata perfregimus; qua in re præcipue judicium conſcientiæ exercetur. Quorſum autem hoc, niſi ut Dei auctoritatem, ſupremam illius poteſtatem, ideoque ejuſdem eſſentiam intelligamus? Peccator vero licet invitus poteſt ne hoc non intelligere, quandoquidem actus iſti ab ipſo proficiſcuntur, & hoc ipſi ſua dicit conſcientia; hoc ipſe ſibi in imo cordis ſui dicit? Cum ergo præcipuum officium noſtrum ſit, Deum colere, illum palam profiteri, eique parere; ad flagitioſum hominem condemnandum, qui eum diffitetur, eique obtemperare detrectat, non alius accuſator, aut Judex inquirendus eſt, quam propria ejuſdem conſcientia.

Punctum Tertium. Impii denique, & Athei, qui Dei fidem ſuffocarunt, ne quid ſibi negotium faceſſeret noxias voluptates quærentibus, primi erunt qui ad ſupremi Judicii tribunal juſtiſſimo damnabuntur judicio, tamquam peccatorum omnium maxime inexcuſabiles; cum enim ignorare minime poſſent finem propter quem creati fuere, amplecti noluere viam illuc deducentem, quæ Religio eſt, actiones ſuas ad arbitrium dirigentes, aliumque ſibi finem proponentes, videlicet bonorum, ac voluptatum vitæ hujus perfruitionem: & expectantes, niſi reſipiſcant, judicium ſuum, quod ſi nondum prolatum eſt, tamen ſignatum eſt, & quodammodo concluſum: *Qui non credit, jam judicatus eſt.*

Pro Concionis argumento, ac partitione eæ, quæ ſequuntur, duæ propoſitiones poſſunt aſſumi. II.
1. Cordis corruptionem, morumque licentiam parere licentiam Spiritus, & ſuffocare in anima ſenſus Religionis, quos ab ipſa natura, inſtitutione, Fide arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ita ut nequitia vitæ, impudicitia, atque flagitioſi affectus ſint cauſa incredulitatis, & cæcitatis Spiritus, quę in Atheis invenitur.

2. Viciſſim incredulitatem, atheiſmum, fideique defectum homines ad extrema uſque flagitia pertrahere, cum eorum animos neque judiciorum Dei metus, neque infamia, quæ cum ſceleribus eſt conjuncta, deterreat.

1. Athei, & qui Religione carent a ſalutis ſtatu quam maxime remoti ſunt, ac omni ferme reditus, & converſionis ſpe vacant, eo quod fidei, rationis, & prudentiæ lumina deſeruerunt, & eas etiam interiores, exterioreſque gratias rejiciunt, quæ ipſos erudiunt, ac in ipſa cæcitate aliquod lumen ipſis afferunt. III.

2. Quomodo, & quanam via in adeo miſerum ſtatum labantur? Impudicitiis nempe immodicis, atque audaciſſima curioſitate, qua ſcrutari, ac penetrare contendunt Religionis myſteria, quæ venerari, atque humiliter credere opus eſt; ac tandem flagitioſorum hominum ſocietate, ac frequentia, qui ſermonibus, & exemplis impios ſenſus ſuos nobis inſpirant.

Tria ſunt Atheiſmi genera, notante Guillelmo Pariſienſi, quæ triplex Concionis punctum poſſunt conſtituere. IV.

1. Atheiſmus eſt mentis, & intellectus; eorum videlicet, qui Deum minime norunt, quod nonniſi ex terribili ſtupiditate proficiſci poteſt, cum impudicitiæ, & flagitia mentem infatuarunt, & lucidiſſima rationis lumina extinxerunt. Hoc Atheiſmi genus rarum eſt, atque ut ait D. Auguſtinus, pauciſſimi huc inſaniæ feruntur: *hæc inſania paucorum eſt.*

2. Atheiſmus eſt voluntatis, eorum nempe, qui ſeipſos excæcant, atque ut impune in omne ruant nefas, atque vitæ hujus voluptatibus indulgeant, ſeipſos fallunt, atque credere nolunt, Judicem eſſe criminum omnium ultorem.

3. Memoriæ Atheiſmus vocari poteſt, qui proprie illorum eſt, qui in jugi Dei, divinarumque legum oblivione verſantur; & proinde ita vitam inſtituunt, ac ſi nullus eſſet Deus. Triplex etiam diſtingui poteſt Impiorum, incredulorum, vel infidelium genus, qui hodie in mundo vivunt, quin ſeſe palam audeant prodere.

Primi ſunt Athei, qui Deum eſſe non credunt, V.
eumque pro viriſi a mente rejiciunt, qui in extremam impietatis abyſſum proruerunt, venumdati iniquitati, ut ait Scriptura, & penitus a Deo derelicti.

Secundi ſunt Deiſtæ, qui rationis ſuæ lumine

BIBLIOTECA CENTRAL

adacti fatentur quidem, eſſe Deum, & ſupremum aliquod Ens; ſed illum providentia, atque juſtitia carere putant; eique perfectiones omnes auferentes, Idolum faciunt, nihilo minus criminoſi, quam ſi nullum omnino Deum confiterentur.

Tertii ſunt indifferentes, qui Religionis noſtræ Myſteria neque credunt, neque reſpiciunt, & ea tamquam Problemata quædam putant ſuam habentia probabilitatem; ſed illa minime ſequuntur, eo quod crucem, laboremque ibi nanciſcuntur. Hi proprie ſunt hujus temporis Chriſtiani. Oſtendenda eſt cæcitas, qua primi laborant inſania, in qua ſecundi verſantur, & periculum, cui tertii obnoxii ſunt.

VI. Tria æquum, cordatum, rationiſque ſenſu non expertem virum ab impietate debent avertere, eumque impellere, ut Religionis ſenſus amplectatur potius, quam atheorum, flagitioſorumque hominum exempla ſequatur.

Ratio prima: quod enim ad intellectum pertinet plures occurrunt difficultates, ac res incomprehenſibiles in eorum ſenſu, qui negant, quam eorum, qui unam credunt Divinitatem: ſi enim pleraque Myſteria fidei noſtrę ſupra rationem poſita ſunt, non ſunt illi tamen contraria; cum in Atheorum ſententia nihil ſibi conſtet, omnia ſibi adverſentur, ac ſeſe mutuo evertant: Mundus factus ab æterno, ſine ullo auctore, & fortuito factus &c.

Ratio altera. Sententia Atheorum inſana eſt; qui eam amplexati, & ſecuti ſunt, ſemper contempti fuere, & ab omnibus ſapientibus fatui, inſipientes, flagitioſi, perverſi, depravatique Judicii fuerunt habiti; cum e contra aliorum opinio univerſali ſapientum omnium, omnium populorum, ſæculorumque conſenſione probetur.

Ratio Tertia: Religionis partes amplecti omni caret periculo, agitur immo, & noſtra hujus, & futurę vitę felicitas; cum e contra nihil in irreligione metuendum non ſit. Itaque licet utrinque pares afferrentur rationes, quod omnino dici, fingique non poteſt; flagitat prudentia, ut in re tanti momenti, eas, quę tutiſſimę partes habentur, amplectamur.

VII. Tria liquido probant exiſtentiam Dei contra Atheos, & Impios.

1. Natura, quæ eſt omnium creatarum, viſibiliumque rerum congregatio. Oculos circum undique fer, Cœlum adſpice, terram, eorumque omnium, quę oculis accidunt, ordinem, varietatem, proportionem, uſuſque perpende: hæc omnia liquido probant, adeſſe Creatorem omnipotentem, qui ex nihilo hæc eduxit univerſa; neque ſupremam deſiderari ſapientiam hæc omnia regentem, atque ad finem ſuum deducentem.

2. Societas, quę hominum eſt multitudo ſub regiminis alicuius forma coaleſcentium, quę ſine Religione ſubſiſtere nequit.

3. Cor humanum, atque conſcientia, quę ſecreto veritatem hanc reſpuere minime poteſt. *Abadia tria hæc ſeorſim pertractavit in libro de Chriſtianæ Religionis veritate.*

VIII. 1. Quemadmodum Athei commentitiam ſpiritus vim jactant, & ſpiritus fortes haberi volunt, qui vulgarium opinionum torrente rapi non ſinunt, illis eſt oſtendendum; Atheiſmum, atque Irreligionem notam eſſe imbecillitatis, ac ſtuporis, cujus vix capax exiſtimari poteſt, qui humani ſenſus expers omnino non eſt.

2. Quemadmodum hanc illi ſententiam ſecuti ſunt, ut in terris beatam vitam traducerent, ac tranquille omnibus ſenſuum voluptatibus perfruerentur, oſtendendum eſt, illos hominum imprudentiſſimos eſſe, quippe qui æternæ ſeſe objiciunt infelicitati ob exiguum adeo lucellum, quale eſt fluxa voluptatum hujus vitę fruitio. *Hæc partitio deſumpta eſt ex auctore Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta, in Dominicali. Sermone pro Sanctiſſimæ Trinitatis Dominica.*

IX. Oſtendendum, incredulitatem, atque infidelitatem impiorum plerumque ex duplici fonte manare.

1. Ex ſuperbia, atque præſumptione ſpiritus, qui ſcrutari, atque aſſequi contendit, quod fidei obſequio credendum eſt; ideoque ea tantum credunt, quę ſenſibus accidunt, vel quę rationis vi comprehendere poſſunt; quod ſane eſt fidei naturam evertere.

2. Ex corruptione cordis, quod eas veritates guſtare non poteſt, quę cum flagitioſa vita ſimul eſſe non poſſunt. *Idem in Dominicali Tomo 4. Sermone pro tertia Dominica, quæ ſupereſt poſt Epiphaniam.*

1. Deplorabilis ſtatus, ad quem Atheus, & exlex redigitur, derelictus a Deo, cujus fidem, metumque ſuffocat in corde, objectum horroris, & exe- X.
crationis mortalium omnium, qui eum abominantur tamquam fide, conſcientia, Religione carentem, indignum, qui verſetur in mundo; neſcit enim quam ob cauſam ibi verſetur, videlicet ut æternam felicitatem acquirat.

2. Præcipuæ cauſæ, quæ Atheos, ac impios in hoc tantum mali dejiciunt, videlicet, turpes obſcœnique affectus, quibus indulgere decreverunt; cæca, & pertinax curioſitas, quę id penetrare voluit, quod Deus credi juſſit; defectus perpendendi finem, propter quem creati fuere.

3. Remedia hujus mali, & vie ex hoc ſtatu emergendi; nempe a peccatis abſtinere, ſerio Fidei veritates, ac rationes, propter quas Religio noſtra credibilis eſt, animadvertere.

Pars prima. Athei, & qui vivendi licentiam XI.
jactant, ſolum ſe rationis lumen ſequi profitentur; iiſque oſtendendum eſt, rebellionem ſuam inter ea omnia conſilia, quę in re tanti momenti capi poſſunt, unum omnium a rationis ſenſu remotiſſimum eſſe, periculoſiſſimum, atque nequiſſimum.

Pars altera. Credunt ſe hac ratione ſine metu in ſceleribus ſuis volutari poſſe, & ſine cura ſeſe omnibus vitę hujus voluptatibus ingurgitare; ideoque oſtendendum, quin hunc finem aſſequi poſſint, ſe ideo prę́ſertim maxime ſemper agitatum iri, & in utraque vita calamitoſos futuros.

Duplex eſt incredulorum, impiorumque genus XII.
in duplici concionis parte impugnandum.

Primi ſunt, qui nihil prorſus credunt, qui ſunt ſine Deo, ſine Lege, ſine Religione; vel qui non alium habent Deum, niſi voluptatem, non legem aliam, niſi voluntatem, non aliam ſpem, niſi vitę hujus bona. Quid credendum, cogitandumve eſt de vię hujus hominibus?

Alii id tantum credunt, quod ſibi placet; induſtrii in fide affectibus ſtudiiſque ſuis accommodanda; vel qui putant, ſe omnibus Religionis ſuæ officiis ſatisfacere poſſe, quin ab ulla ſe abſtineant re, quam illa prohibeat. Hi docendi ſunt, ipſos eo in ſtatu verſari, qui nihilo melior vel minus periculoſus eſt, quam ille in quo ſuperiores verſantur.

1. Sine Religione nulla vera eſse poteſt probitas XIII.
in terris; omnes exularent virtutes.

2. Sine probitate, vitæque ſanctitate Religio ſeverioris damnationis eſt cauſa. *P. Bourdalove.*

Quandoquidem Athei, & qui vivendi, creden- XIV.
dique licentiam profitentur ſuam ſpiritus vim jactitant, atque rationem provocant;

Oſtendendum primo illis, qui nihil credunt, eorum in credendo indocilitatem maximum eſſe mentis errorem.

2. Illis vero, qui ſeipſos excæcare quærunt rebelles veritatibus, quas nequeunt ignorare, & quas cor ſuum clanculum confitetur, rebellionem hanc meram eſſe cordis corruptionem. *Deſumptum ex P. Aurelianenſi. Sermone de Religione.*

Negare Deum, & fidem omnem extinxiſſe, eſt

1. Error omnium maxime inexcuſabilis, & ne- XV.
quiſſima ignorantia; non enim eſſe poteſt, niſi adfectata, & voluntaria poſt tot argumenta, ac teſtimonia, quibus Deus ipſe eſſentiæ ſuæ veritatem comprobavit: *Non ſine teſtimonio ſe ipſum reliquit.* Hæc autem argumenta fuſius poſſunt enucleari.

2. Teterrima improbitas eſt, graviſſimumque peccatum; hoc enim eſt de Mundo virtutes omnes, bonam fidem, omnemque juſtitiam auferre.

Impietatem, atque credendi licentiam ſcelus eſſe XVI.
honori Dei maxime oppoſitum, apertiſſimumque Religionis inimicum, qui eamdem, quantum in ipſo eſt, penitus delet, hac inductione probari poteſt.

1. Vult Deus ab hominibus cognoſci; at impietas fugit, vel delet Entis illius cognitiones, eaſque veritates, quas ille docuit, & revelavit.

2. Vult Deus ab hominibus coli tamquam ſupremus eorum Dominus; impietas vero illum dedecorat, ei thus adolere detrectat, Juſtitię, ac potentiæ ipſius timorem amittit.

XVII. 3. Vult Deus homines ſibi obtemperare, atque ſubmiſſionem teſtari; impietas vero eidem renuit parere, ut impune illius leges perfringat, & juſtitiam effugiat. Contra impios, & irreligioſos, qui tantopere ſe ſpiritus fortes eſſe gloriantur, oſtendi poteſt, nullam ipſis notam ineſſe, quæ hanc ſpiritus fortitudinem probet.

1. Spiritus fortitudo in hoc ſita eſt, ut quis facile illa aſſequatur, quæ ſupra communem ſenſum ſunt poſita.

2. In hoc, ut ſtrenue, ac generoſo animo eas ſuperet difficultates, quæ cogitationibus noſtris magnis, & juſtis adverſantur.

3. In hoc, ut prudens fiat earum rerum electio, quæ nobis utiles ſunt; quibus in rebus impios deficere, non operoſum eſt demonſtrare.

XVIII. Punctum primum. Mala, in quæ impingunt homines increduli, ac flagitioſi; cæcitas ſpiritus, animi obduratio, quam cogitatio nulla unquam flectere poteſt, ac denique finalis impœnitentia, atque æterna reprobatio.

Punctum alterum. Quanam in re hæc illorum conſiſtat impietas, & quænam ſint illæ notæ, unde valeat cognoſci. 1. Nullam ex Religionis noſtrę veritatibus credere, eaſque, ubicumque ſeſe obtulerit occaſio, impugnare. 2. Sanctas res, atque veneranda fidei myſteria in jocum traducere. 3. Sacramenta, & quidquid ſanctius eſt, polluere. In his eorum conſiſtit impietas, ac inde cognoſci poſſunt.

XIX. Impius ſe ſpiritum fortem appellat, ſed ejus infirmitas, atque cæcitas inde apparet, quod

1. Fidelis certis, invictiſque innititur principiis; impius vero rationi, quæ errori patet.

2. Fidelis validiſſimis auctoritatibus, atque irreprehenſibilibus teſtimoniis comprobatur; impius e contra peculiaribus hæret opinionibus, non aliam quam flagitioſorum hominum ſibi ſimilium, auctoritatem habentibus.

3. Fidelis conſtans eſt in cognitionibus ſuis per morum innocentiam, vitæque integritatem; impius vero ſemper hæret in ambiguo affectuum ſuorum perturbatione agitatus, & a Deo derelictus. *Deſumptum ex P. Texier in Adventu cui titulus: impius infelix.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, Auctoreſque, unde peti rerum copia valeat ad has Concionum ſtructuras exornandas.

SAnctus Cyprianus *de Idolorum vanitate, & in Proleg. de Operibus Cardin.* oſtendit, Dei cognitionem eſſe naturalem.

Tertullianus in Apologetico c. 17. hoc ipſum probat.

Origenes *Lib. 1. Peri-archon.*

S. Iræneus *lib. 4. c. 14.*

Auctor *libri de divinis nominibus c. 7.*

Lactantius *lib. de falſa Religione.*

Euſebius *lib. 7. de Præparat. Evangelic.*

S. Athanaſius *in Orat. contra Idolat.*

Arnobius *lib. 8. contra Gentes.*

S. Gregorius Nazianzenus *Orat. de Theol.*

S. Gregorius Nyſſenus *lib. de Vita Moſis.*

Idem Homil. 11. *in Cantic.*

S. Cyrillus *l. 2. & 3. contra Julianum.*

S. Baſilius *Homil. quod Deus non ſit auctor malorum.*

S. Auguſtinus *lib. 2. de Civit. Dei c. 4.*

S. Hieronymus *in Pſalm. 95.*

S. Chryſoſtomus. *In Pſalm. 13. & 143.*

Idem. *Homil. 4. in Geneſim.*

Idem. *Homil. 9. & 49. ad Popul. Antioch.*

Philo Judæus *lib. de Opific. Mundi, & lib. de Monarch.*

Salvianus *lib. 2. ad Eccl. Cathol.* verba facit de modica Fide, ac Religione, quæ in Chriſtianis videtur.

Idem lib. 3. in eos invehitur, qui ævo ſuo in iis, quę ad Religionem pertinent, licentiam præſeferebant.

S. Bernardus. *Sermone 32. in Cantic.*

Aſcetici, & Dogmatici. Granatenſis. Catechiſmus.

Leſſius. *De Divinis perfectionibus.*

Silhon. Tractatu de Animę immortalitate, cujus præcipua pars in probanda contra Atheos Dei exiſtentia verſatur.

P. Mauduit, Presbyter Oratoris Tractatum edidit de Religione contra Atheos, & Deiſtas.

P. Antonius Girard e Societate JESU. Ex P. Leonardi Leſſii Operibus duo fundamentalia ſalutis decerpſit principia, alterum de unius Dei veritate, alterum de veritate Religionis contra Hæreticos.

Dialogus de Exiſtentia Dei cum tribus aliis editus de Immortalitate animæ, de Providentia, & de Religione, ſine nomine auctoris.

Marchio de Planetia egregium de Religione tractatum edidit, ubi integrum caput circa Atheorum inſaniam verſatur.

Cambolas, Presbyter Tholoſanus in libro, cui titulus, Vitæ Chriſtianæ Exemplar, cap. 1. de ſpiritibus fortibus, ac in iis, quæ ad Religionem attinent, libere credentibus.

P. Antonius de S. Martino *de la Porte*, Carmelita reformatus in libro cui titulus, *Les conduites de la Grace*, Tractatu 4. fuſius de ſpiritibus fortibus verba facit, eorumque detegit infirmitatem.

De la Bruyere in Characteribus Morum hujus ſeculi Operi ſuo finem imponit charactere ſpirituum fortium, atque Atheorum, & Dei unius probat exiſtentiam.

P. Cauſſinus in Aula Sancta lib. 2. primo ad ſalutem obſtaculo, prolixum habet Sermonem de Atheiſmo, & Impietate.

P. de la Colombiere in Chriſtianis Conſiderationibus, unam adfert de Atheiſmo, & vivendi, credendique licentia.

Liber, cui titulus, Sapientia Chriſtiana editus a P. Guilleminot e Societate JESU de eadem re fuſius loquitur.

Liber, cui titulus, Animadverſiones in varia Religionis, Ethicęque argumenta Tomo 2.

Liber, qui inſcribitur *Eſſais de Morale* Tom. 2.

P. Aurelianenſis Tomo 1. Sermonum, concionem habet de vera Religione, ubi Atheos, ac irreligioſos oppugnat. Concionatores.

Abbas de Breteville Tomo 4. Sermone pro Dominica infra octavam Nativitatis Dominicæ.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Moralis argumenta, in Dominicali, Sermone pro Dominica Trinitatis, Dei contra Atheos probat exiſtentiam.

Idem Tomo 2. Sermonum particularium Concionem habet de Incredulitate contra Impios.

In eorum numero, qui collectanea Moralia ediderunt unum reperi Dandinum, qui in hoc elaboraverit argumentum, & ea, quæ reperire potuit, collegerit. Adi librum ejus tertium ubi de peccatis fidei oppoſitis verba facit.

Cicero *lib. 2. de Natura Deorum.* Ex Ethnicis.

Seneca *lib. de Providentia.*

Stoici apud Plutarchum *lib. 2. de Placitis Phil. c. 6.*

PARAGRAPHUS III.

Bibliorum loci, exempla, & applicationes huic argumento.

E*Go ſum qui ſum.* Exod. 3.

Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me. Deut. 32.

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine. Pſal. 4.

Dixit inſipiens in corde ſuo: Non eſt Deus. Pſ. 13.

Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam, &c. Pſal. 18.

Quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo? Pſal. 72. (ſic loquuntur impii.)

Viduam & advenam interfecerunt, & pupillos occiderunt, & dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob. Pſal. 39.

Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt. Pſal. 32.

Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, a ſæculo uſque in ſæculum tu es Deus. Pſal. 89.

Interroga jumenta, & docebunt te; & volatilia Cœli, & indicabunt tibi; & narrabunt piſces maris: quis ignorat quod manus Domini hæc omnia fecerit? Job c. 12.

Deus, cujus iræ nemo poteſt reſiſtere & ſub quo curvantur qui portant orbem. Idem, c. 9.

A Ma-

BIBLIOTECA CENTRAL

A Magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterat Creator horum videri. Sap. 13.

Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem. Ibidem, c. 16.

Non eſt alius Deus, quam tu, cui cura eſt de omnibus. Ibidem, c. 12.

Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis. Ibid., c. 1.

De his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt; neque operibus attendentes agnoverunt quis eſſet artifex. Ibidem, c. 13.

Ego primus & noviſſimus, & abſque me non eſt Deus. Iſaiæ c. 44.

Plena eſt omnis terra gloria ejus. Idem, c. 6.

Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit. Idem, c. 43.

Quomodo ignoras quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione contingantur oſſa in ventre prægnantis: ſic neſcis opera Dei, qui fabricator eſt omnium. Eccleſ. 11.

Numquid non cœlum & terram ego impleo? dicit Dominus. Jerem. 23.

Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joann. 1.

Non ſine teſtimonio Deus ſeipſum reliquit, benefaciens de cœlo. Act. 14.

Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cœli & terræ cum ſit Dominus, non in manu factis templis habitat . . . . indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia. Act. 17.

In ipſo vivimus, movemur, & ſumus. Ibid.

Inviſibilia ipſius, a creatura mundi, per ea quę facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur. Ad Rom. 1.

Ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Ad Rom. 7.

Cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Ad Rom. c. 1.

Exempla veteris, novique Teſtamenti.

Probabile non eſt ante diluvium veros Atheos extitiſſe.

ANte diluvium quamvis mortales ad extrema uſque impietatis ſcelera devenere, non liquet tamen in generali ea corruptione Dei fidem penitus deletam fuiſſe. Mundi creatio, & primi parentis recordatio, quem eorum complures viderant, & cujus fatum alii didicerant, dubitandi locum minime relinquebat, utrum primum Ens, & ſupremus Univerſorum auctor, ac Dominus eſſet, quamvis vitium, atque mores corrupti omnem illius metum ſuſtuliſſent, omnemque cultum, ac Religionem antiquaſſent. Itaque inter Mundi Creationem, & Dei Creatoris exiſtentiam, qui unus illum ex nihilo potuit educere, talis nexus invenitur, ut alterum ex altero neceſſario conſequatur; & Atheus, qui ex corde ſuo Dei fidem expunxit, mundi quoque creationem debeat negare, & aſſerere, hunc ab æterno eo in ſtatu manſiſſe, in quo videtur, vel ſaltem partes omnes, ex quibus conſtat, fortuito Atomorum concurſu ita coaluiſſe, ut tot, tamque præclara opera efficerentur. Utrum hæc fidem mereri poſſint, recti ſenſus eſt dijudicare; quod occaſionem tribuit dicendi opus eſſe ut rationis ſenſum omnem abjecerit, qui vere Atheus eſt. Sed ſatis eſt, rationem aut flagitiis, aut affectuum violentia fuiſſe corruptam, ut affirmare poſſimus numquam defuiſſe Semi-Atheos, hoc eſt homines Dei timore, conſcientia, & omni Religionis ſenſu carentes.

Exemplum Cain.

Primum, quod in Bibliis occurrat exemplum hominis Religione, ac Dei metu carentis eſt anteſignanus reproborum omnium, infeliciſſimus Cain, qui dubitare non potuit, utrum Deus eſſet Creator Mundi. Cum enim filius eſſet patris, qui fuerat primus hujus orbis incola, & qui non niſi Dei ejuſdem manibus efformatus eſſe potuerat, prætulit nihilominus animum impium, ac titubantem in fidem Providentiæ illius, a quo omnia creata fuiſſe cognoverat. Quamobrem quidam ex Sanctis Patribus illum primum, & Patriarcham Atheorum appellant; neque veritus eſt aſſerere S. Bernardus, fidem illius ante mortuam fuiſſe, quam ab illo mors fratri inferretur. Supplicium, quod de illius impietate divina popoſcit Juſtitia, eos omnes deterrere deberet, qui illius exemplum ſequuntur; eumdem enim exitum debent præſtolari.

Alia eorum exempla qui vel ſine Religione fuerunt. *Athei vel ſine Religione fuerunt.*

Dici poſſunt, tot impii, ac nefarii homines, de quibus loquitur Scriptura, totidem fuiſſe ſaltem ſemi-athei, velut Eſau, qui primogenita ſua vendidit, ut ſuæ voluptati indulgeret; Saul, qui in deſperatis rebus Pythoniſſam conſuluit; tot Reges impii, qui populum ad Idolorum cultum impulerunt, & alii, qui Deum Patrum ſuorum deſeruere, ut Idolis thus adolerent. Profecto inter Idololatram, Atheumque hoc diſcriminis intereſt, quod hic nullum prorſus Deum cognoſcit, ille vero ficta veneratur numina, vel creatam aliquam rem ſibi proponit in Deum. Par eſt utrobique impietas; ac aſſerere poſſumus Idololatriam Atheiſmo viam ſternere, quemadmodum hodie Atheiſmus idololatras facit ſuarum voluptatum, ac quæſtuum.

Ille, cujus non ſolum vivendi, agendique ratio probavit, quod nullum Deum eſſe putaret, ac Dominum majorem ſe, verum etiam apertiſſime profeſſus eſt, ſe neque Deum ullum noſſe, neque illi obtemperare velle, Pharao eſt, nequiſſimum illud cæci, obduratique cordis exemplum: *Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam*. Exod. 5. Admirabilia portenta, quæ coram ipſo operatus eſt Moyſes, illi perſuadere debebant, adeſſe Deum ſuprèmum naturę totius Dominatorem; attamen qua pertinacia proteſtatus eſt, ſe penitus ignorare Deum hunc, cujus verbis Moyſes ad eum loquebatur, ac ſe non paſſurum, ut populus Iſrael, quem duro ſervitutis jugo premebat, in deſertum concederet, ſolemni eum ſacrificio adoraturus? Hæc figura eſt, vel potius prototypus rebellionis Atheorum, quibus non ratio, non miracula, non minæ, non divinæ juſtitiæ flagella perſuadere poſſunt, Deum eſſe ſcelerum omnium ultorem.

Nabuchodonoſor aliud eſt impiæ hujus rebellionis exemplum, licet ſuperbiæ ſuæ pœnas luens tandem confeſſus ſit magnitudinem, ſupremamque illius poteſtatem, cujus nomen aſpernabatur. Rex ille magnitudinis ſuæ fulgore excæcatus contra omnia rationis lumina ſeſe extulerat ſupra Deum, pro quo ſimulacrum ſuum coli jubebat; ſed debitas ſceleris, ac impietatis ſuæ Deo pœnas dedit; qui illi rationis uſum ademit, atque ad brutorum conditionem redegit eum, qui ſeſe ſupra mortales omnes evehere ſtuduerat. Hic idem ille ſtatus eſt, quo Athei quodammodo rediguntur. Hi omnia rationis ſuæ lumina extinxerunt, ne agnoſcerent Deum quem creata omnia ratione, & ſenſu carentia palam prædicant, ac profitentur, & ipſi quoque brutorum ſimilitudinem induunt, ut brutalem vitam traducant, terrena ſolum, & ſenſuum voluptates cogitando, quod dignum impietatis ipſorum ſupplicium S. Paulus ad Rom. 1. appellat. *Mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes*.

In novo autem Teſtamento in Herodis Aſcalonitis perſona quamdam Atheiſmi ſpeciem intuemur; non ſolum enim in omni vitæ ſuæ ratione palam oſtendit, ſe non aliud Numen, quam fortunam ſuam crediciſſe, & eos, qui eumdem in throno, quem uſurpaverat, tueri poſſent; ſed cum audiviſſet Deum in mundo, ac in oppido ditionis ſuæ natum eſſe (Meſſiam videlicet, quem Prophetæ naſciturum prædixerant, & Judæi præſtolabantur) quamquam mira narranti nuntio fidem non adhiberet, turbatus eſt tamen, nihilque intentatum reliquit, ut Meſſiam hunc recens natum, quicumque tandem eſſet, de medio tolleret, eo uſque ut occidi juberet pueros omnes qui in Bethleem invenirentur, & quos ejuſdem præter propter ætatis eſſe autumavit. Athei quidam non diſſimile præſtant; ſcelera quippe ſceleribus aggerentes ſuffocare conantur in corde ſuo Dei metum; & cogitationem, eumque, ſi fieri poſſet, de mundo auferre; quoniam uti S. Auguſtinus inquit, maxime intereſt eorum, ne quis ſit vindex ſcelerum & impietatum.

Deus ignotus, quem Athenienſes venerabantur.

Cum S. Paulus Areopagum ingreſſus eſt, Fidei lumen allaturus, & illum proditurus ignotum Deum, quem Athenienſes colebant: antequam de lege Evangelica verba faceret, adniſus eſt ideam illis adſtruere veri Dei, & creatoris Cœli, ac terræ prorſus aliam ab ea, quam illi conceperant; non enim minus aberrant a veritate fictis nominibus thura adolentes, quam ſi nullum penitus Deum cognoviſſent; & quia Religionis Chriſtianæ ratione habita idem eſt idololatram eſſe, ac Atheum; & quia denique, ut ait Tertullianus vel nullus eſt Deus, vel unus tantum eſt; niſi quod facilius eſt errorem auferre Idolorum cultori, quam Atheo, propterea, quod virium, affectuumque perturbatio ma-

majores tenebras hujus offundit menti, & Atheiſmus, ac impietas ex morum licentia proficiſcentes majorem illius converſioni obicem ſtatuit.

Cum Atheorum, flagitioſorumque hominum vulgatus ſermo ſit, neminem ex alio mundo acceſſiſſe, & docuiſſe quid ibi fiat, quod profecto impii in Sapientia dicunt; illis ea reddenda ſunt, quæ S. Patriarcha Abraham diviti nequam reſpondit, de medio flammarum ſuarum flagitanti, ut aliquis ex mortuorum numero in mundum mitteretur, qui fratres ſuos Atheorum more viventes commoneret; reſpondit quippe Moyſem, & Prophetam miſſos fuiſſe, & hoc illis ſatis eſſe debere; ſi enim ſeſe non debebant teſtimoniis veritatis, quæ Deus illi præbuerat, neque habituros fidem illi, qui ex mortuis reſurrexiſſet, neque prodigio cuilibet; & omnia hæc tamquam inanes illuſiones exiſtimaturos.

Applicationes.

Athei Evangelicas veritates viſiones putant.

AT *illi, ut viderunt eum ambulantem ſupra mare, putaverunt phantaſma eſſe*. Marc. 6. In Atheorum, flagitioſorumque hominum mente accidit aliquid ſimile iis, quæ de Apoſtolis legimus, qui, cum illis apparuiſſet JESUS ſuper aquas incedens, putaverunt eſſe phantaſma. Impii hoc ipſum dicunt de omnibus Religionis noſtræ veritatibus; cum hoc tamen diſcrimine, quod hoc illi dicunt non per errorem, ut Apoſtoli, ſed per voluntariam cæcitatem, quam illis vitia ſua peperere. Licet enim Chriſtianæ veritates eorum oculos perſtringant, eaſque ſolidis inniti principiis cognoſcant; nihil tamen credere decreverunt, ne illa ſequi cogantur. Vel Apoſtolos eoſdem in Dominicæ Reſurrectionis fide titubantes imitantur, quibus piæ illæ mulieres, quæ ad Sepulcrum proceſſerant Domini corpus balſamis inuncturæ, ea quæ viderant, & audiverant, nuntiavere: *Viſa ſunt ante illos ſicut deliramentum verba iſta*, inquit S. Lucas Evangeliſta c. 24. *& non crediderunt eis*. Quod illæ nuntiaverunt, viſum eſt Apoſtolis mentis imbecillitatem, ac inſaniam ſapere, ideoque illis fidem non habuere. En quouſque flagitioſorum hominum cæcitas procedat! eo uſque ut maximas etiam, maximique momenti veritates fabulas putent.

Regius Propheta ait: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam*. Pſal. 18. Eruditus quidam Interpres priorem hujus loci partem fidelibus applicat, qui fidei luminibus illuſtrati ſunt; alteram vero impiis, qui infernorum tenebris ſunt inſepulti. De Prioribus tamquam filiis lucis dicendum eſt, ingens Evangelii lumen lucere in animabus ſuis, ut veritatem annuntient; credunt enim, quod illis verbum Dei revelavit; cum in tenebris Inferni æterna nox poſterioribus eas veritates, quas credere noluerunt, aperiat per ſcientiam illam experimentalem, quam illis imprimit, efficitque, ut inviti Deum, alteramque vitam, æternaque ſupplicia cognoſcant.

Jonas propheta in utramque ſtertebat aurem ea in navi, quam conſcenderat, ne Dei mandata exequeretur; cum atrox procella illum jamjam ſubmerſum, cum omnibus, qui eadem vehebantur rate, videbatur. Tunc nauta præſentis periculi magnitudine territus illum excitavit, dixitque: Tu dormis, & jam perimus: Evigila ſtatim, ac Deum tuum invoca, qui fortaſſe recordabitur noſtri, ac nos liberabit. Interim cum violentibus tempeſtas debaccharetur, Propheta ſomno fere captus adhuc in mare projicitur. Hoc accidit, ſed eventu toto cœlo diſſimili, flagitioſis hominibus, qui alto inertis vitæ, impudicitiis, & voluptatibus deditæ ſomno inſepulti ſunt. Mundi hujus pelagus fragili arant rate ſemper in æternæ mortis periculo, numquam cogitantes invocare Deum verum, quem minime norunt, vel quem fugiunt, ne illius imperio obtemperare teneantur. Tandem vero ingruit ſuper illos æternæ reprobationis procella, ac in calamitatum omnium barathro ſepeliuntur.

Dæmon Atheos alia ratione decipit, quod olim idololatras.

Dixit impius in corde ſuo, Non eſt Deus. Pſal. 10. Scite eruditus interpres animadvertit, Dæmonem Divinæ gloriæ invidentem, dum Gentilitatis tenebræ mundo erant affuſæ, terras plurimis idolis, fictiſque numinibus repleviſſe, quibus ut honorem præſtaretur, adnitebatur, certus hanc tutiſſimam eſſe viam cultus abolendi, qui Deo vero unice debebatur. Hodie vero cum homines ſatis illuminati ſint, neque in eos laqueos impingere poſſint, ut opera manuum ſuarum, quemadmodum olim veteres idolorum cultores, venerentur; Dei, hominumque hoſtis arma immutavit; perſuadet enim flagitioſis hominibus, non jam amplius Deos eſſe irritandos, qui ſcelera, atque impudicitias ſuis probent exemplis; ſed nullum omnino eſſe Deum juſtum ſcelerum vindicem. Artem tantummodo mutavit illos in oppoſitum errorem impellens, qui tamen nihilo minus pernicioſus eſt innocentiæ, & qui æque, homines in nullam reditus ſpem perdere poteſt.

Impiorum circulus infamis.

Noluit intelligere, ut bene ageret. Pſal. 35. *In Circuitu impii ambulant*. Pſal. 11. Hic infamis ille eſt circulus, in quo ambulant impii, & unde non egrediuntur. De fidei veritatibus volunt ambigere, eo quod impudicitiis dediti ſunt, & hæ veritates illos in impudicitiis ipſorum exagitant; iique brutorum more ſeſe mancipant impudicitiis, eo quod Fidei veritates non credunt. Cum illos urges, ut pravos habitus tandem aliquando relinquant; reſpondent, ſe omni vi eos infringere conaturos, ſi certi eſſent, eorum quæ a noſtra Religione docentur; ubi vero illis probata ſunt ea, quę docet Religio, tunc ajunt, ſe pravos habitus ſuos infringere nequaquam poſſe: *In circuitu impii ambulant*.

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum in hoc argumento loci, atque Sententiæ.

H*Æc eſt ſumma delicti nolentium agnoſcere, quem ignorare non poſſunt*. Tertull. in Ap.

Totus mundus inſcriptus eſt, & ab omni conſcientia legitur. Idem, ibidem.

Ubi Deus non timetur, niſi ubi non eſt? Idem, de Præſcript. c. 41.

Nihil adhuc de Deo diſcens, Deum nominat; nihil aliud de judicio ejus admittens, Deo commendare ſe dicit. Idem, l. de Carne Chriſti.

Quidquid de Deo cogitatum fuerit, minus ipſo erit; quidquid omnino de illo retuleris, rem aliquam ipſius magis & virtutem, quam ipſum explicaveris. Idem, de Trinit.

Animæ, a primordio conſcientia Dei, dos eſt. Idem, l. 1. de Contr. Marc.

Patent oculi (Atheorum) *nec vident; hiant aures, nec audiunt; cor ſtupet, & ſaliens animus neſcit quod agnoſcit*. Lib. 2. ad Nat.

Deus in aperto conſtitutus eſt. Idem, l. de Pœnit.

Tantis operibus Deus notitiam ſui armavit! Idem.

Tunc aliquid de Deo cognoſcimus, cum illum cognoſci non poſſe ſentimus. Auguſt.

Errat quiſquis putat veritatem ſe poſſe cognoſcere, cum adhuc nequiter vivat. Idem, de Agon. Chriſt.

Pauci inveniuntur tantæ impietatis, ut impleatur in eis quod ſcriptum eſt; Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus. Idem, in Pſal. 13.

Videre velle, ut animum purges, cum ideo purgetur ut videas, perverſum certe, atque præpoſterum eſt. Idem, lib. de Utilit. credendi.

Si hæc pulchra ſunt quæ videmus in mundo, quid eſt ipſe? ſi hæc magna ſunt, quantus eſt ipſe? Idem, in Pſal. 26.

Deus eſt illud ipſum, *de quo Pſalmiſta: cætera ſi cum ipſo conferantur, nec ipſa ſunt, nec illa, ſed merum nihil*. Idem, in Pſal. 90.

Si me ipſum neſcio, ſi animæ meæ ſubſtantiam & naturam ignoro, ſi eorum quæ intra me ſunt rationem non intelligo; qua audacia ſupra me erigam oculos, ut videam principium ſine principio, & finem ſine fine attingam? Cyprian. in præf. de Card. Operib.

Deus nec videri poteſt; viſu clarior eſt: nec comprehendi; actu purior eſt: nec æſtimari; ſenſu major eſt: & ideo ſic eum digne æſtimamus, dum inæſtimabilem dicimus. Idem, lib. de Idol. Vanit.

In paginis elementorum ac voluminibus temporum, communis & publica inſtitutionis doctrina legitur. S. Proſper, lib. de Vocat. Gent. c. 4.

Humanę infirmitatis religioſa profeſſio eſt, hoc ſolum noſſe quod Deus eſt. Zeno Veronenſ. Serm. 1. in Pſal. 128.

Negat quodammodo Deum, quiſquis rationibus humanis Deum metiri conatur; defenſio enim nonniſi imbecilli præſtatur. Idem, Serm. de Fide.

Pa-

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

Parentem omnium, & omnium Dominum non minoris ſceleris eſt ignorare, quam lædere. Idem, ibidem.

Abſque notitia Dei quæ poteſt eſſe felicitas? Idem, ibidem.

Nemo Deum negat, niſi cui expedit Deum non eſſe. Auguſt.

Nihil eſt ordine perfectum, quod poſſit ſine moderatore conſiſtere. Lactant. l. 3. c. 10.

Eſſe omnium eſt ipſa Divinitas. S. Dionyſ. de Div. Nominib.

Non eſt gens, neque lingua, quæ hanc vocem Cælorum, & creaturarum intelligere non poſſit, quæ Deum omnes clamant. Chryſ. Homil. 9. ad Popul. Antioch. explicans illud Davidis: *Cæli enarrant gloriam Dei, &c.*

Nihil agis, ingratiſſime mortalium, qui te negas Deo debere, ſed naturæ; quia nihil natura ſine Deo eſt; ſed idem eſt uterque, nec diſtat officio. Seneca lib. de Benef.

Si Deum e mundo ſuſtuleris, fidem & ſocietatem de genere humano, & una excellentiſſimam virtutem juſtitiam, auferre neceſſe eſt. Cicero, de natura Deorum.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ fontibus hauriri poſſit in hoc argumento contra Atheos &c.

Impii dividuntur in Atheos, Deiſtas, & Pyrrhonicos vel indifferentes.

IMpiorum, flagitioſorum, eorumque qui ſe Spiritus Fortes jactant, nomine, ut jam dictum eſt, triplex hominum genus continetur, qui dici poſſunt nullam Religionem habere, ſunt autem Athei, Deiſtæ, & Pyrrhonici. Singuli ſua ſeorſim habent argumenta juxta eos Articulos, quos impugnant. Deiſtæ, qui Deum unum fatentur, contra Religionem ea objiciunt, quæ ipſis nequaquam communia ſunt vel cum Atheis, qui Deum eſſe negant, vel cum Pyrrhonicis, qui de ejuſdem ambigunt exiſtentia. Athei melius ſe feciſſe putant omnem auferendo Divinitatem, cum qua ſimul evertunt, quidquid certitudini exiſtentiæ ejus innititur, puta Religionem, & quæcumque inde conſequuntur alia, tum ad hanc, tum ad alteram vitam pertinentia. Pyrrhonici, qui in Religionis materia indifferentes vocari poſſunt, nihil poſitive affirmant; verum ne prohibent quidem, quominus rationes oppoſitæ ſuam habeant probabilitatem. Affirmandi, negandique particulę nullo ipſis in diſcrimine ſunt, dummodo inter utraſque mens ſemper hæreat anceps. Utrique ſpirituum fortium nomen, & gloriam ſibi vendicant, quaſi ſupra humanas infirmitates poſiti, neque vulgi opinionibus irrepti, quibus imprudenter homines injiciuntur in Religionis ſervitutem, quæ nullam pati poteſt licentiam.

Veri Athei vel nulli ſunt, vel pauciſſimi.

Rationes Dei exiſtentiam probantes adeo planæ, perſpicuęque ſunt, & ut inquiunt Auctores, creatarum quarumcumque rerum teſtimonio ita probantur, ut nullus reliquus ſit dubitandi locus, utrum veri Athei inveniantur, niſi terribilis accedat ſtupiditas, quę omnia ferme rationis lumina extinguat. Nihilominus quamplurimi ſunt Athei non mente, ſed corde, qui ſibi perſuadere conantur nullum eſſe Deum, ut hoc pacto conſcientiæ ſuæ ſtimulos ſuffocent, tranquille voluptatibus vitę hujus perfruantur, & impune in omnia ſcelerum genera ruant. Ita Deus nullum unquam miraculum operatus eſt ad probandam Divinitatem, quæ ab omnibus creatis rebus prædicatur. Illi ſolum, quorum intereſſet nullum eſſe Deum, hoc negant: mens vitiis referta illos in hunc errorem impellit; omneſque conatus exerunt, ut quod cupiunt, ſibi perſuadeant, alioſque in ſuos ſenſus alliciant, quoniam vellent, quod numquam aſſequi poterunt, hoc ſibimetipſis probare.

Inveniuntur tamen plurimi nefarii homines, qui non ſolum vivunt tamquam Athei, ſed qui loquuntur etiam æque ac ſi vere eſſent Athei; qui ſeſe continere nequeunt, quominus in cœtibus ſua dogmata jactitent, licet reipſa aliter credant. Hoc nonnumquam ſimpliciter accidit, ut ingenium eorum late poſſit excurrere, atque improbam percipere voluptatem rudes homines torquendo, eorumque menti caliginem affundendo, quibus non ſatis luminis ineſt, ut fallaciam, atque imbecillitatem eorum quæ afferuntur, detegant argumentorum; quo fit, ut qui de Divinitate minime ambigunt, alios veros Atheos poſſint efficere. Nihil ergo æquius eſt, quam ſtudere, ut Fideles contra pernicioſa eorum ſophiſmata, inaneſque rationes ſibi caveant diligentiſſime.

Cauſæ vulgatiores Atheiſmi.

Tres præſertim ſunt Cauſæ Atheiſmi, ſeu mentis, ſeu cordis: parum intereſt, quomodo Athei labantur, eadem enim ſcelera patrant, ac in eamdem denique decidunt infidelitatem. Prima eſt, nefaria conſcientia diuturno obſcœnorum criminum habitu obdurata. Fides paulatim infirmatur, ac tandem penitus extinguitur; curatur etiam, ut hoc accidat ad ſecretos conſcientiæ ſtimulos, atque redargutiones, quibus anima eo in ſtatu torquetur: ita ut, ne timore judiciorum Dei, & ſuppliciorum, quæ impium altera in vita manent, deterreatur, anima ipſa, quantum in illa eſt, fidem extinguat, vel ſaltem memoriam eorum nitatur abolere, ab oculis ſuis hæc terribilia objecta rejiciens. Altera ſecreti hujus, vel manifeſti Atheiſmi cauſa eſt obſcœna venus, nequiſſimæ impudicitiæ, voluptatum amor, quæ animam ita dejiciunt, ut nullus illi Dei, vel Religionis ſenſus ſuperſit, eo uſque ut nihil in altera vita ſperans, felicitatis ſuæ cancellos in hac ipſa conſtituat, atque omnes abjiciat cogitationes, quæ voluptatum ſuarum perfruitionem poſſent perturbare. Tertia mali hujus origo eſt inquieta curioſitas, & ſecreta ſuperbia, quæ altiora Religionis myſteria ſcrutari contendit: quo cum homo infirmis rationis ſuæ luminibus pervadere nequeat, vel fictum putat, vel impoſſibile quidquid ultra mentis ſuæ jactum poſitum eſt. Hæc ipſa ſuperbia veteres Philoſophos deterruit, ne ſacris noſtris initiarentur, eoſque ſæpe ita excæcavit, ut nihil credere vellent, quod intelligere non poſſent.

Impii illi, qui ſerio loquuntur, alia inſiſtunt via Religionem everſuri. Quemadmodum vident illam ſecretiſſimas actiones noſtras, ipſa etiam deſideria dirigere, eam politico acceptam referendam eſſe putant conſilio, ut populi videlicet in officio, quod Principibus ſuis debent, contineantur. Verum ſi bona fide operarentur, e contra arguerent, unam tantummodo Religionem eſſe, quę Reipublicæ ſecuritati conſulere noverit, ordinem, ſubmiſſionem, & pacem tuens; regens humanæ ſocietatis officia: mendacium enim, fictæque ſuppoſitiones tantum bonum gignere nequiviſſent, præterquam quod mendacium, & fraus ſemper latere non poſſunt. Sed cum metus juſtitiæ ultoris Dei, & alterius vitæ ſupplicia, non ſecus ac bonorum operum præmia hanc vim obtinuerint producendi tantum boni quantum eſt univerſalis humanæ ſocietatis conjunctio, dicendum eſt, Religionis opus eſſe mundi civilis pacem, atquę ordinem: non autem opus eſſe Politicæ, hoc eſt ingenii prorſus humani, quod Religio introducta fuerit, & conſtituta.

Cum Atheis ea deſcribuntur flagitia, atque ſcelera, quæ graſſarentur in terris, niſi Deus eſſet, atque Religio; hoc unum reſpondere poſſunt, tunc homines gubernatum in ratione, & vitium, quod rationi adeo oppoſitum eſt, licet a Religione minime prohiberetur; eos nihilo ſecius eſſe abominaturos. At quid eſt ratio per ſe, ut ſola exundantium affectuum torrenti opponatur? Quis non videt quotidiana doctus experientia illius imbecillitatem, atque inertiam in tot hominibus, qui ſuis affectibus dediti, dummodo ſuis ſatisfaciant voluptatibus, rationi, atque conſcientiæ aures obſtruunt? Nonne vident rationis, virtutiſque conſiderationem, quæ alioquin parum valeret, iis inniti, quæ nos Religio docet de Exiſtentia Dei, & de mandatis, quæ nobis irrogat Deus? Quod ſi ſupponeretur Deus inane tantum eſſe nomen, ac inanis idea; nullum amplius eſſet vitium, nulla virtus; & virtus, vitiumque ex hac parte mera eſſent nomina nihil ſignificantia?

Lumen ipſum naturale parte earum veritatum prodit, quas Athei in dubium vocant.

Naturale quoque lumen nobis oſtendit non deeſſe rerum omnium auctorem. Naſcimur non ſine quibuſdam inſtinctibus, & affectibus; naſcimur cum quibuſdam luminibus, & cognitionibus; quemadmodum non deſunt objecta, quæ naturaliter cupimus, ita non deſunt quædam quæ ſine ſtudio, atque doctrina cognoſcimus: Deus, animæ immortalitas, bonorum operum præmium, & ſupplicium, quod ſcelera manet, ex iis ſunt veritatibus, quarum doctrina non indigemus; ita ut nulli eſſent in hujuſmodi articulis infideles, ſi ut fideles eſſemus, ſatis eſſet cognoſcere, quid Fides de illis docet, & ratio ſine voluntate ſufficeret. Hæ ſane veritates ab inſtitutione minime proficiſcuntur. Temporum vices, diverſa populorum negotia, Nationum commixtio, varia hominum ſtudia inſtitutionem immutant, ac varias honoris, atque urbanitatis regulas ſtatuunt. Sed hæc ſententia, unum Deum eſſe, vitam alteram, virtutum præmia, ſcelerumque ſupplicia; hæc, inquam, ſententia inter omnis ſocietatis mutationes immutabilis perſeverat; corde quid aliud licet arguere, niſi, iterum dicam, ſententiam hanc a ſimplici educatione minime profectam eſſe, ſed alicui innixam eſſe naturali proportioni, quæ inter has veritates, noſtrumque intellectum intercedit.

Mala, quæ ex Atheiſmo orientur.

Si locum haberet Atheorum ſententia, virtus chymæra quædam eſſet, ac nomen inane: probitas vanus eſſet ſcrupulus; bona fides ſimplicitas, vel hypocriſis: omnis inter homines confidentia deſineret; quis enim fideret hominibus, qui cum Deum non cognoſcant, non ſanctiorem, quam propriam utilitatem legem agnoſcunt? Si hæc ſententia obtineret, conſcientia præjudicium eſſet; lex naturalis, illuſio; jus, error; benevolentia, qua ſeſe mutuo proſequuntur mortales, nullum amplius fundamentum haberet; ſocietatis vincula jam adimerentur; amicus amico, civis patriæ, patri filius prodendo paratus eſſet, ex quo ſibi cum utilitate hoc perficiendi oblata eſſet occaſio: & auctoritate, vel ſilentio, quæ ſceleri perfugium præbere poſſunt, contra leges te tueri poſſe confideret, ſacratiſſima denique jura, atque imperia, tamquam mera ſomnia, & viſiones haberentur. Nec ratio deeſt; cum enim quilibet homo ſe tamquam finem ſibi proponeret, non aliam haberet Legem, quam voluntatem ſuam, non aliam regulam, quam ſua deſideria & vim ea, quæ vellet exequendi, vel ea, quæ ſibi utilia forent, uſurpandi, quod inter bruta contigit animantia.

Fateor equidem nihil mihi adeo ridiculum, atque abſurdum eſſe unquam viſum quam credere, virtutes omnes, bonam fidem, probitatem, juſtitiam, humilitatem, temperantiam, fidelitatem, omnia ſocietatis vincula, æquiſſimas leges, ea, quæ ſumma cum æquitate ſancita ſunt, Tribunalia, quæ ſumma cum juſtitia ſunt conſtituta, rectum rationis uſum, affectuum imperium, ſapientiam, conſcientiam, legem naturalem; quidquid demum hominem ab aliis animantibus diſtinguit, hæc omnia inquam ab errore eſſe profecta, ex eo nempe ſenſu, quem habemus de Exiſtentia Dei; econtra vero ſcelus, licentiam, injuſtitiam, malam fidem, ſocietatis perturbationem, quæ Rerum publicarum æque, ac familiarum ſecum trahit everſionem, pravum rationis uſum, flagitia, affectus, nequiſſima vitia, fœdiſſimas libidines ex ea veritate originem ducere, quę ab Atheorum ſententia non abhorreret, ſi locum habere poſſet inſana eorum ſuppoſitio.

Liquido etiam patet, ubi exiſtentiæ Dei veritas fuerit exploſa; non eas ſolum difficultates occurrere, quæ ſunt communes in dogmatibus, verum ſexcentas alias, quæ immediate ex Atheiſmo proficiſcuntur. Mundus, qui factus reperitur ſine ullo Auctore ab æterno, vel ex fortuito atomorum occurſu; æterna hominum, aliorumque animantium ſucceſſio, quin aliquis primus extiterit, qui ſecundo vitam tribuerit: infinita hominum multitudo, qui in terris extitiſſent quin unquam eorum fons, & principium inveniri poſſet. Hæc omnia ænigmata ſunt, & paradoxa; vel potius omnia in ideis noſtris perturbata ſunt; fulgidiſſimum lumen nobis eſt caligo denſiſſima. Sapientia, quę lucet, oculoſque noſtros perſtringit multo magis, quam rerum confuſio; quod factum videmus perſpicuis rationis illuſtratæ notis diſtinctum, efficit, ut ita dicam, ut propriæ rationis uſum amittamus, ex quo Deum non cognoſcimus amplius; nullum enim amplius invenimus principium, ad quod omnia hæc miracula referre poſſimus.

Quibus principiis & rationibus Athei innituntur.

Athei, flagitioſique homines id tantum credere volunt, quod ſuis accidit ſenſibus; & quod rationis ſuę vi concipere valent; videlicet Fidei luminibus rationem ſolam ſubſtituunt, immo ſenſus ipſos, quos unice conſulunt, quemadmodum S. Auguſtinus animadvertit. *In homine carnali tota ratio intelligendi, eſt conſuetudo cernendi?* Nunc autem quæro, aliquidne eſſe poteſt infirmius, errori magis obnoxium, quam ratio ſola, ita ſuffulta, & aliud quodcumque fulcrum reſpuens? Quantumvis magna ſit humana mens, & aciem habeat perſpicaciſſimam, magnas tamen naturaliter habet infirmitates propter nexum, quem habet cum ſenſibus, & cum materia, & quod nonniſi per corporis organa poteſt operari. Nonne verum eſt, quamplurimas res, eaſque maxime communes, & obvias illius conatus fallere, eamque cogere, ut inſcitiam ſuam profiteatur? Poſt tot ſæculorum ambitum numquam æſtus marini, atque eorum, quæ in febri ordinata deprehenduntur intervalla, vera cauſa potuit inveniri & poſt tot meditationes, & placita nihil adhuc de continui compoſitione certum potuit afferri. Quid fiet igitur, Sapiens ait, ſi ad rerum mere ſpiritualium cognitionem conemur attolli? *Difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt invenimus cum labore; quæ autem in Cælis ſunt, quis inveſtigabit?* Sap. 9.

Atheis Dei incomprehenſibilitas negotium faceſſit, & quaſi hæc Deo eſſet contraria, inde arguunt, non eſſe Deum; videlicet inſaniſſimo errore, rei proprietate abutuntur ad rem eamdem evertendam. Ceterum, cum incomprehenſibilitas ad humanam mentem referatur, quæ nimis arctis finibus continetur, quam ut Deum intelligere valeat; quis non videt, nolle credere Deum eſſe, eo quod natura ipſius nequit comprehendi; idem eſſe ac inſcitiam ſuam pro argumento uſurpare contra Deum, & contra Religionem; quod abſurdum nihilo minus irridendum eſt, quam ſi quis neget, ſolem pleno meridie lucere, eo quod hebetem oculorum aciem in eum nequeat intendere? Præterquamquod donec fateri cogemur ignorantiam noſtram in earum rerum natura, quæ oculis ſubjiciuntur, ac fere ſemper præ manibus verſantur, citra dementiam contendere minime licebit Divinitatis arcana, penetrare velle; & ubi illa nequeamus aſſequi, ea negare eorumque fidem evertere; quaſi hæc juſte eſſet exiſtentiæ Dei negandę ratio, aſſerere, illum mente noſtra capi non potuiſſe, qui ne caperetur, non infinitum, ſed paulo nobis majorem eſſe ſufficeret; quod in quolibet ſenſu non eſt adeo facile.

Ipſa Dei incomprehenſibilitas Dei probat exiſtentiam.

Hæc impotentia penetrandi Opera Dei, tantum abeſt, ut argumento eſſe poſſit ad illius divinitatem explodendam; quod immo illius nota eſt maxime perſpicua; tandem enim mens noſtra major eſt, quam objecta, quæ in ſe comprehendit: & quemadmodum illam eſſe anguſtiſſimam intelligimus ex ea difficultate, quæ ad facillimas naturæ res evolvendas occurrit; non adeo magnus Deus eſſet, quem ſpiritus arctis adeo finibus circumſcriptus, qualis noſter eſt, comprehendere poſſet: cujuſmodi objectum ſi Deus eſſet, explere ne poſſet vota noſtra, ac nos beatos efficere? Itaque ideam Deo dignam comprehendere non poſſumus, quin eum nobis incomprehenſibilem exhibeamus; & ſi quæ inveniretur Religio, quæ nobis Deum cognoſcendum tradere conaretur; hæc ſtatim fallax eſſet Religio, & Deus, quem nobis illa proponeret, eſſet commentitius; incomprehenſibilitas enim vero Deo non eſt minus eſſentialis, quam potentia, bonitas, & ſapientia, eo quod ſi Deus eſt, hic profecto infinitus eſt; ſi infinitus, fieri nequaquam poteſt, ut a finitis mentibus, quales noſtrę ſunt, comprehendatur.

Athei ad Mundi Creationem evitandam, quam intelligere nequeunt, ſeſe expedire putant, Mundi credentes æternitatem, quæ illum nequaquam creatum eſſe ſupponit. Sed quæſo, Mundi æternitas faciliuſne intelligi poteſt, quam ejuſdem creatio? Difficiliuſne credere, Deum infinita, qua pollet, poteſtate entia quælibet ex nihilo eduxiſſe, quam concipere quomodo ab æterno ſine auctore exiſtere potuerint, quoad principia eadem componentia, ipſorumque genera, & ſpecies; quod vero ſpectat ad ordinem, ac ſucceſſionem, omnia ita potuiſſe ſubſequi, quin eorum ſucceſſio, ordo initium ullum, & cauſam habuerit? Satis ne ſapientiæ, & luminis in ea opinione deprehenditur, quę Mundi aſſerit æternitatem, ut cum æternę damnationis periculo illi ſit præferenda, quę ejuſdem creationem affirmat?

Deiſtæ nequaquam minus impii ſunt Atheis.

Deiſtæ Deum eſſe fatentur; ſed credunt animam ipſo mortis momento in nihilum redigi, & ita putant, divinæ ultioni locum omnem auferri. Ita parum refert utrum Deus ſit, necne: ut enim verbo me expediam, ſi nullus eſt, nihil ipſis metuendum eſt; ſi Deus eſt, mors, qua rediguntur ad nihilum, illos a Divina ira tuetur. Nihil ergo præter humanas leges ipſis eſſet metuendum, ſed quam tenue, ac imbecillum hoc vallum eſt contra furentem maris æſtuoſi tempeſtatem! Provocarent illi

illi ſtatim ac poſſent, legem vis, quæ potentiori indulget, ac ſtatuit jus penes illum, qui victo- riam ſcit uſurpare. Qui non videt, quot ex hoc fonte mala orirentur, næ ille quidem cœ- cus eſt.

Increduli ignorent, per nos licet, ea naturę ſe- creta, quæ inſignes ſapientia viri ſcrutari minime valuerunt; quæſtiones maxime familiares dumta- xat illis proponam: Nobis oſtendant quomodo planta vel arbor in exiguo ſemine contineatur, & quænam ſit in quoque ſemine diſpoſitio, ut hanc potius, quam aliam plantam, arboremve produ- cant. In horto pugillum ſeminum variorum jacio; quæcumque inde exierint plantæ, ex eodem terrę ſucco efformabuntur, imbre eodem irrigabuntur, iiſdem ſolaribus radiis fovebuntur; ideoque quæ- cumque in illis aderit differentia non ex hiſce e- lementis, quæ ubique erunt eadem, ſed vel ex varia partium, vel ex diverſa earum doſi profici- ſcetur. Hoc intelligimus quidem, illud autem quod non videtur, eſt cauſa proxima, ita hæc partiens elementa. Quinam hanc ſeminibus virtutem im- pertiit, quo artificio has diſpoſitiones diviſit? niſi hoc naturæ Auctor præſtitit, dicant illi, quinam alius, & quomodo hoc efficere potuit?

Aliquot argumenta Exiſtentiæ Entis ſupremi.

Adeo valida, & manifeſta afferri poſſunt argu- menta Dei exiſtentiam probantia, ut omnem hu- manitatis ſenſum abjeciſſe dicendus ſit, qui ea minime videat; ſed omnino perditæ, deploratæ- que conſcientiæ animique corrupti ille eſt, qui eiſ- dem non cedit; ita vulgo dicunt, vel rationis u- ſum prorſus amiſiſſe, vel ad extremum uſque im- pietatis apicem profectum fuiſſe, qui eam negat veritatem, quam ſolum naturale lumen, omnes homines, omneſque populos edocet. Inter hæc ar- gumenta quædam metaphyſica ſunt, quædam phy- ſica, nec deſunt alia ex morali diſciplina deſum- pta; omnia valide, invicteque probantia, ſed non omnia omnium mentium captui accommodata. Auctores quidam eas, vel ſaltem præcipuas Galli- ce expoſuere; inter quos Silhon in Tractatu de animę Immortalitate, Marchio de Planitie in Tra- ctatu de Religione Chriſtiana, P. Mauduit Ora- torii Presbyter in Tractatu de Religione Chriſtia- na contra Atheos. Adi, ſi lubet, hos auctores, atque Tractatus, ubi hæc argumenta reperies. Eo- rum nonnulla hic afferam, quibus SS. Patres uſi ſunt, quæ mihi & manifeſta magis, & conciona- toribus magis accommodata videntur.

Mundi hujus adſpectus Deum eſſe docet.

Homo, ut liquido agnoſcat Deum eſſe, oculos aperiat, ſatis eſt, & Univerſum hunc Mundum contempletur. Quæcumque ibi videt, elata voce prædicant, ſupremum Ens adeſſe. Immenſæ illæ ſpheræ, quę tanta concentus illecebra, tantoque in orbib s ſuis peragendis ordine ſupra caput noſtrum circum ire conſpicimus; Sydera in illis poſita, quæ tantam cient admirationem magnitudine ſua, ſpecie, ac fulgore, quorum motus perniciſſimus eſt, periodus recte inſtituta, viciſſitudo conſtans, & effectus multiplex, & mirabilis, nonne, Domi- ne, tuam gloriam eloquentiſſime prædicant, ut in- quit Propheta, Pſalm. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*? Tot, ac tam variæ in terris Plantæ, quarum ſingulis ſuæ adſunt proprietates, tot animantia, ſingula ſuum inſtinctum habentia; tot Agentia, quæ licet diverſis, & oppoſitis ſępe etiam ſtudiis ferantur, unanimi tamen agunt conſenſu, & ad eumdem finem tendunt; hæc omnia diverſa o- pera nonne clamant illis, qui aures ſuas nolunt obſtruere, ne audiant illa, ſe a Domino facta fuiſſe?

Quiſnam magnificas ædes conſpiciens, juxta re- gulas artis affabre ædificatas, ſuperba ſupellectili locupletatas, pretioſis tabulis exornatas, in concla- via ęque magna, & commoda diviſas, illas for- te, atque ex fortuito atomorum concurſu coaluiſ- ſe putaret? At quænam ædes unquam eam præſe- ferre poteſt, formam, magnificentiam, partium venuſtatem, ac ordinem, quem in Mundi ſtru- ctura admiramur? Quis igitur hujus eſſe poteſt Architectus, niſi Deus? Qui vero illum cœcæ ſorti acceptum referat, nonne magis cœcus eſt? ...., Hic autem Mundus, qui toto æternitatis ſpa- tio in nihilo delituit, unde ut emergeret, omni- potenti manu opus fuit; Mundus hic adeo in par- tibus omnibus admirabilis ex ſe ſubſiſtere poterit; cumque ſeipſum creare nequiverit, ſemet poterit tueri; fingi ne poteſt Univerſum cœlorum, terra- rumque orbem conſtanti, atque tuta hac ratione forte regi? Hæc omnia nonne palam oſtendunt, eximium aliquem adeſſe ſpiritum, aliquod inge- nium infinita potentia præditum, quod hæc omnia dimenſum eſt, eaque numquam ſatis celebranda providentia gubernat?

Corporis humani ſtructura ſe Dei opus eſſe debet.

Ut homo Deum cognoſcat, oculos in ſeipſum conjiciat ſatis eſt. Quid unquam magis admirabi- le inveniri poteſt, quam hæc multitudo, varietas, ordo, venuſtas, proportio, relatio, quam inter ſe habent tot organa tam varia, ſeu materiam ſpe- ctes, ſeu figuram, ſitum, motum, officia, quæ tamen omnia mirabili adeo certoque conſenſu ad eumdem finem feruntur. At ſi meipſum introſpi- cio, ut ibi animam meam conſiderem, quę ibi quoque veſtigia, quæ argumenta reperiam apertius adhuc Dei unius veritatem probantia? Univerſale hoc, ideoque naturale ſtudium, quo in bonum fe- rimur, odium illud, quo malum abominamur, nonne liquido probant quemdam adeſſe primum, atque univerſalem Motorem motum hunc omni- bus hominibus imprimentem? Hæc conſcientiæ ex- probratio, quæ efficit, ut noſmetipſos ſecreto ju- dicio damnemus ob quædam facta, licet nos inſi- mulet nemo, nonne palam oſtendit, nos ipſos a- gnoſcere ſupremum aliquem judicem, a quo pro- vocare non liceat? Intuitus illi adeo celeres in Cœ- lum ſublati, qui ſingulis, ne cogitantibus quidem accidunt ubi aliquo dolore premuntur, nonne te- ſtantur fidem noſtram, qua Deum in Cœlis eſſe credimus, qui poſſit in rebus adverſis ferre opem? Jugi hic cordis motus, quod ſemper ſuam felici- tatem exoptat, quin tamen omnia, quæ in terris poſſidentur bona, illud explere valeant, nonne li- quido probat, infinitum eſſe cordis ejuſdem ca- ptum; ac nonniſi infinito, ſummoque bono re- plendum?

Deus eſt: univerſalis populorum omnium in om- nibus locis, omnibuſque temporibus conſenſus, li- cet in reliquis rebus maxime diſcrepent, apertiſſi- ma eſt veritatis hujus demonſtratio; naturæ vox eſt, quæ mentiri non poteſt. Profecto eſſe nequit fallacis præjudicii effectus; nullum enim præjudi- cium adeo commune eſſe poteſt: ſenſus, imagina- tio, & effectus, quæ ſunt inanium prejudiciorum cauſæ, gratuito Dei unius ideam non adſtruerent, quæ illis non favet, ſed obeſt, illaque oppugnat. Hominis unius oppoſitio univerſę Humani Gene- ris conſenſioni adeo inaudita eſt, ut, nonniſi mi- ræ cæcitatis, inauditique ſupplicii eſſe valeat effe- ctus. Ceterum ullane veritatis eſt ſpecies; quod populorum omnium ſententia, quæ naturæ ipſius vox quædam eſt, vanitati innitatur? Si hic inſtin- ctus adeo rationi congruus, ſi hæc naturalis ſen- tentia mendax eſt, inde profecto ſequitur, lumi- ne, quo regi debemus, nos falli ac in errorem in- duci, & rationem per ſe nos in graviſſimum er- rorem impellere, quem alii longe plurimi conſe- querentur. Ad hæc ſi univerſalis hominum de Divinitate ſententia a vero abhorreret; hæc prin- ceps eſſet ſcientiarum omnium ſcientia, ſcire vi- delicet nullum eſſe Deum. Quomodo vero Atheiſ- mus adeo præclara veritas eſſet, cum ſcelerum, flagitiorumque omnium ſit cauſa? Quomodo acci- dere poſſet, ut credere Deum, error eſſet; quan- doquidem hoc eſt moralium omnium virtutum principium; rerum publicarum fundamentum, ac humanæ ſocietatis vinculum?

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, Neotericiſque Concionatoribus hujus argumenti Loci.

Solum naturale lumen Deum eſſe docet.

NEmo in terris eſt adeo rudis, vel nequam, qui ſolo naturę lumine Divinitatem minime agnoſcat; & illi ipſi qui adfectata dementia dice- re audent, nullum eſſe Deum, hoc non mente di- cunt, ſed corde; ſua enim refert nullum eſſe, & effugere cupiunt Teſtem adeo oculatum, ac Judi- cem adeo ſeverum. Nam quandoquidem quod in nihilo eſt, inde per ſe non poteſt emergere, quæ mens unquam rationis compos inficias ire poſſet, non adeſſe æternum aliquod Ens, qui neceſſario ſemper fuerit, & qui aliquando non eſſe non po- tuit? *In Præfatione libri, qui inſcribitur, Mundus a ſeipſo damnatus.*

Quidquid vivendi licentia excogitavit, ut cau- ſam jampridem deploratam tueretur, aliquidne poteſt in corruptis mentibus parere, quam futiles quaſdam dubitationes, quæ ſemper metum relin- quunt

quunt fallendi? Ea autem ſollicitudo, qua in par- tes ſuas ſuffragatores conantur pertrahere, nonne ſatis oſtendit, eos adniti, ut interiorem ſuffocent vocem, quæ illis errorem vellet auferre? Æquum ne igitur eſt, ut ſuperbia ſpiritus arrogantis, & corrupti cordis impietas univerſæ omnium populo- rum, omniumque ſæculorum conſenſioni præva- leant? Athei, ſi quis tamen vere Atheus eſſe po- teſt, ſe Deum quærere jactitant, eumque reperire non poſſe gloriantur; at illum facile invenirent, ſi bona fide & in cordis ſimplicitate illum quære- rent, neque illum invenire metuentes oculos clau- derent. Ipſæ etiam illorum difficultates, ipſę ſol- licitudines, & arma, quibus Divinitatem impu- gnant, totidem ſunt voces, quę ad eos loquuntur, atque ſufficere poſſunt, ut illis Deum eſſe perſua- deant. *Idem.*

Cognitio Divinitatis nationibus omnibus communis eſt.

Hæc veritas nequaquam ex eorum eſt myſterio- rum numero, quæ ratio pervalere nequeat; im- preſſio eſt luminis omnibus terrarum nationibus communis. Verum licet ea omnia quę ratione de- tegimus, non ſatis eſsent, ut omnino perſuaderent ſpiritum contra reliquorum hominum ſenſus rebel- lem, numquid ille nobis aliquid apertius, & ad perſuadendum efficacius poſſet afferre? Certus ſum, ſi velit ſincere loqui, atque conſcientiæ ſuę fidem habere, illi confitendum fore, conſcientiam ſuam hac in re ſibi illud ipſum aſserere, quod fi- des Chriſtiana nos docet. *Idem.*

Si quis ut ſeſe nequiſſimis manciparet affectibus, ſanctarumque legum, quas nobis Religio irroga- vit, jugum excuteret, ſapientum omnium ſenten- tiæ auderet reluctari; credibilêne foret veritatem ibi potius adeſse, ubi vitium, quam ubi virtus in- veniretur? Ita ſane cenſuit S. Auguſtinus unus ex his ſpiritibus magis fortibus, qui unquam in ter- ris extiterint. At dicine poteſt hunc, cum Sanctus factus eſt, in ſpiritum infirmum immutatum fuiſ- ſe; eumque, cum illi vehemens, & flagitioſa do- minabatur libido, magis aptum fuiſse, quam mox, ut de veritate judicaret? *Idem.*

Si ad rectam judicii trutinam vocaveritis id, in quo poſita eſt hæc vis Spiritus, quam Athei præ- ſeferunt, eam tandem in hoc ſitam eſse intellige- retis, ut ineptiam aliquam amplificent, ſanctiſſima quæque in jocum traducant, vulgatas vias deſe- rant, leges omnes, canoneſque Eccleſiaſticæ Poli- tiæ in ludibrium vertant, unanimi, ac univerſali Sapientum omnium ſententię ſe numquam dedant; quæ mera pertinacia eſt, ac rebellio ſpiritus, & quę fortes hos ſpiritus in corda affectibus ſuis ab- ditiſſima, atque vitiis omnibus dedita invertit. Ita cum hi Spiritus fortes contra Religionis veri- tates inſurgunt, Dei exiſtentiam impugnant vel animæ immortalitatem, vel alium quempiam fidei articulum, eo quod illum intelligere nequeunt, i- dem eſt ac ſi diceres, ſolem non eſſe, quia cæci jurant, ſe illum numquam vidiſse. Numquid cœ- cis habenda fides? Credendumne eſt hujuſmodi in- geniis, quæ contradicere geſtiunt, & quæ mentis acie non ſatis pollent, ut fulgorem patiantur cœ- leſtium veritatum, quę nobis ab Homine Deo re- velatę fuerunt, & exceptę ab illis, qui maxima intelligendi vi in terris donati eluxerunt? Dica- mus potius aſsertos hos Spiritus fortes in proprias impegiſse ſententias, ut in ſua ignorantia, atque tenebrarum ſuarum caligine deliteſcerent, inde numquam evaſuri. *Deſumptum ex Auctore Anonymo, ac recenti.*

Atheorum abſurda.

Abſurda, in quæ decidunt Athei, ac illi qui credendi licentiam præſeferunt Religionem negan- tes, longe minus probari poſsunt, quam veritates illæ, quorum ſublimitas eos torquet; qui ne in- comprehenſibilia myſteria comprehendant, alii poſt alios incomprehenſibiles errores ſequuntur. Quid ergo eſt hęc eorum prodigioſa incredulitas, quam error ſine fine, temeritas, quæ omnia in pericu- lum adducit, voluntaria ſtupiditas, atque ut ver- bo me expediam, ſuperbia, quæ medicinam pati non poteſt, hoc eſt, legitimam auctoritatem, cui omnis ſpiritus rationis compos ſeſe ſubmittere de- bet? Superbus hic putat, ſeſe ſupra omnes homi- nes, ac ſupra ſeipſum attollere cum ſeſe attollit, ita quippe illi videtur, ſupra Religionem, quæ tandiu ab ipſo in honore habita fuit; ſe inter eos adnumerat, qui priſtinos errores abjecere; intra ſe irridet infirmos ſpiritus, qui alios tantum pecu- dum more ſequuntur, quin ipſi per ſe quidquam inveniant .... *Boſſuet in Panegyrico Annæ de Cleves &c.*

Nulla eſt in Religione veritas, quæ adverſarios non repererit, qui aliquot ſæculorum ſpatio ſatis amplam diſcipulorum, ac Patronorum catervam jactarunt: tamen hic Exiſtentiæ Dei articulus u- nus eſt, cujus error oppoſitus certam inſtituere ſe- ctam non potuit. Si quod impietatis monſtrum ex- titit ſubinde, quod illum aſſerere fuerit conatus, ipſi etiam minus religioſi viri hunc tamquam hu- mani generis horrorem putarunt. Quorſum autem iſtud? niſi quod veritas hæc humano ſpiritui eſt inſculpta ita, ut deleri minime poſſit, niſi ratio ipſa, & humanitas evertatur? Cur ignorantia, ſu- perbia, morum corruptio, impunitatis cupiditas tot ſectis veram perfectionum Dei obſtulerunt ideam, non ideo tamen omnino ideam exiſtentiæ illius pe- nitus antiquarunt, niſi quod minime potuerunt? Cur, licet opponeretur metus, cui impius quidam Poeta Divinitatis fidem acceptam referebat, exi- ſtentia Dei in dubium vocata non fuit, ut illius Providentia, & juſtitia; niſi quod licet rudes, corruptique homines eſſent, hac in re cœci eſſe non potuerunt? Cur denique ex erroribus omnibus hic unus eſt, qui ſectam inſtituere, ac fovere ne- quiverit, niſi quod inter homines tot monſtra non ſunt, ut plures ſimul in ſententiam monſtro, ac portento ſimilem coaleſcere poſſint? *P. Aurelianenſis Sermone de Religione.*

Ex omnibus dubitationibus nulla magis mentem torquere debet, quam quæ circa Religionem ver- ſatur. Dubitare, utrum anima ſit immortalis, ac utrum eumdem cum me finem ſit habitura; dubi- tare, utrum Deus æternas ſceleribus meis pœnas reſervet; dubitare, utrum Religio mea via ſit, quam ſequi oporteat, ut ad æternam felicitatem, atque ſalutem perveniamus, O crudelem ac terri- bilem dubitationem! O acerbiſſimam incertitudi- nem! Putare falſa, fictaque ea omnia quæ in præ- cipuis his argumentis nos docet Religio: ſi omnes rationes veſtræ non aliud poſſent efficere, quam ut de illis ambigeretis, error veſter adhuc utilior eſ- ſet veſtra dubitatione; error enim ſpem veſtram foveret, dubitatio vero deſperationis tantummodo rationes vobis ſuggereret. *Idem.*

Mundus repletus eſt notis, ac probationibus exiſtentiæ Dei.

Veritas exiſtentiæ Dei in omnibus partibus, ex quibus Mundus iſte conflatus eſt, nitentibus adeo characteribus eſt inſculpta; ut quemadmodum Ter- tullianus ait, ab omni conſcientia legantur: *Totus Mundus inſcriptus eſt, & ab omni conſcientia legi- tur.* Cœcus eſt, qui illos minime videt; cœcus, qui non intelligit præclarum hunc omnium rerum ordinem, hanc ſymmetriam, hanc conſenſum eſſe non poſſe fortuitum; cœcus qui acceptam referre poteſt tantam hanc qualitatum, virtutum, uſuum varietatem; tot fines, tot media, tantam & me- diorum, & finium proportionem; tot cauſas effe- ctus ſuos gignentes certis, conſtantibus, æterniſque legibus, ac numquam aberrantibus; cœcus inquam, qui hæc omnia accepta referre poteſt alteri cui- piam principio præterquam ſupremæ illi intelligen- di vi, quę poteſt omnia, quæ in ſe univerſa ea continet, quæ eſſentiam poſſunt recipere, quæ o- mnia cogitat, quam nihil latet, & fallit; cœcus, qui ridiculum hoc fortuitæ congregationis, ac ge- nerationis ſyſtema commentus eſt! *Idem.*

Sors, quæ hoc miraculum peperiſſet, magis ad- huc incomprehenſibilis eſſet, quam ipſe Deus; & Athei, qui ſorti potius quam Deo acceptum refer- re malunt ingens hoc opus, næ illi quidem palam oſtendunt, ſi Deum credentes ſibi perſuadere poſ- ſent, nihil deinceps eſſe metuendum, Deum po- tius, quam ſortem, Mundi Auctorem credituros. Ita fides eorum cordis potius deſiderium eſt, quam mentis opinio. Profecto illi ipſi incomprehenſibi- les eſſent, ſi citra cordis corruptionem mente ſen- tentiam hanc ab homine adeo alienam concepiſ- ſent. *Idem.*

Quomodo in Atheiſmum lapſus fiat.

Non niſi poſt incertitudinem, quam diutius a- luit, poſt diffidentiam, quam fovit, poſt probatas dubitationes, poſt affectatam in omnibus Religio- nis officiis, quæ maxime ſunt eſſentialia, indiffe- rentiam, poſt ſecreta vitæ flagitia, poſt lethalia vulnera per habitum peccati animę inflicta, poſt voluntatis teporem in iis omnibus, quę Religionis exercitationem reſpiciunt, nonniſi poſt hæc omnia inquam, inter præſens, & futurum hærere quis in- cipit. Ubi vitæ hujus voluptatibus ſeſe nequiſſime abdiderit, in cordis obdurationem labitur, & ex obduratione in tenebricoſiſſimæ cœcitatis caliginem ruit, quæ eo magis inſanabilis ſit, quo magis ſit voluntaria. Per funeſtam hanc cæcitatem primo

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

Fidem, mox etiam Dei metum prorſus amittit. *P. Rapin in tractatu de Fide.*

Audiendi ne ſunt Athei, ac flagitioſi homines, ubi dicunt, Deum incomprehenſibilem eſſe, & ſe non poſſe credere, niſi quod ratione aſſequuntur, quaſi ea non eſſet rerum natura, quarum magnitudo immenſa eſt, ut ſeſe præbeant conſiderandas ea tamen conditione, ut intelligendæ non ſint, ut ſe ſimul & celent, ut perſpicaciſſimas mentes gloriæ ſuę fulgore perſtringant, eaſque pondere ſuæ majeſtatis obruant? Talis eſt ſupremi hujus Entis magnitudo, ut nonniſi ab ipſo plene concipi valeat, & ut ſimul in diei lucem, tenebraſque noctis conjungat. Hoc S. Petrus in Thabor, hoc S. Paulus in ipſo Cœlo experti ſunt, ubi nequicquam conati ſunt ea explicare myſteria, quæ ſibi fuerant detecta. Ita Deus in terris coli vult, & flagrantiſſimo deſiderio illum omnibus cognoſcendum tradendi, & abſoluta impotentia id ipſum præſtandi; & neſcio, utrum humilitas ſilentii eidem accepta ſit magis, quam laudes omnes, quibus poteſt celebrari. *P. Dozenne Libro de JESU CHRISTI Divinitate.*

Mores hominis Religione carentis.

Qui religionis eſt expers, omni caret probitate, modo, virtute, æquitate, fide, miſericordia: Qui non aliis legibus paret, quam injuſtis cogitationibus ſuis, non aliis præceptis, quam furentibus deſideriis; qui non aliud numen habet, quam ſeipſum, non alium cultum quam ſuorum affectuum amorem; hic filius eſt impius, conjux infidelis, crudelis dominus; putat enim, cum poſt mortem nulla ſint metuenda ſupplicia, præmia nulla ſperanda, ſuis eſſe affectibus obtemperandum; amicus perfidus, credit enim, omnem amicitiam ſibi poſt mortem inutilem futuram. Quis unquam ſeſe credere poterit vobis, homines impii, qui nullum agnoſcentes Deum, illum poſt mortem vobis Judicem futurum non creditis? Quod tantum ſcelus vobis horrorem injicere poteſt, ex quo poſt hujus exitum vitæ nihil præſtolamini, & æquo in diſcrimine vitam, & mortem habetis? Omnia vobis paria ſunt, bonum, & malum, probus, & improbus; quandoquidem univerſalis rerum annihilatio quamprimum pium, ſimul & impium in ſepulchri ſqualore confundet. *P. Maſſillon Sermone de Religione.*

Philoſophi quidam nobis omnibus quamdam ineſſe præventionem, vel perſuaſionem ex ipſa natura profectam deprehenderunt; per quam ſeorſim ab omni ratiocinio, & ante reliquas cognitiones lumine quodam nobis ingenito, fateri cogimur, aliquod adeſſe Numen, a quo pendemus. Præter hoc præjudicium, maturatumque lumen, quo cum ipſa nativitate donamur, ratio ipſa nos certiſſimis illationibus ad Dei agnitionem adducit; & miram ſibi vim inferre deberet, qui inde nullum Deum eſſe vellet arguere. *Tournay in libro, qui inſcribitur memoires de la Religion.*

Conſtructio, & forma hujus Mundi liquido oſtendit Deum eſſe.

Forma, figura, diſtinctio, viciſſitudo, atque ſubordinatio eorum, quę in vaſta hac mundi extenſione conſpicimus, ſatis oſtendunt, non deeſſe mentem; ordo quippe rationis eſt opus. Hoc autem per ea palam probatur, quę in humanis ab arte elaborata ſunt. Numquam videmus caſu, vel ſolius naturæ opificio ędes, ſimulacra, veſtes, picturas, aliaque id genus ſexcenta, quæ plurimi ducimus, fieri: ars humano ſpiritu duce, ac magiſtro hæc omnia præſtat; cur autem ea, quæ in natura videmus, & quæ toto cœlo majora, ac perfectiora ſunt, non fatebimur facta eſſe ſuperiori quadam intelligendi vi, quæ captum noſtrum prorſus excedat? *Idem.*

Numquid perſpicaciſſima impietas aliquid poteſt objicere nexui tot veritatum, quarum aliæ aliis fulciuntur? & poteſt dubitari de illius Divinitate, in quo miracula probant Prophetiarum complementum, & Prophetię miraculorum veritatem confirmant? Tandem aliquando fateamur neceſſe eſt; non tantum Myſteriorum fidem, quam virtutum, & diſciplinæ, quam illa proponit exercitationem a Chriſtiana Religione impios arcere, hoc illis crucem figere, hoc torquere; & futurum ut Mundus longe magis Fidelium, atque Chriſtianorum copia diffueret, ſi credendum eſſet dumtaxat, neque tot facienda eſſent, atque ſervanda. *Idem.*

Nulli ſunt veri Athei, & ſi qui ſunt, corde ſunt, non mente.

Propheta nullos vere Atheos in terris eſſe putat. Mundi ſpecies, & ordo, ait ille, hominibus omnibus perſuadet, unum tantummodo ſupremum Ens eſſe, quod ſemper ſua providentia gubernat ea, quę ſua potentia creavit; atque inde concludit, ſi quis unquam Atheus eſt, hunc corde quidem, non mente eſſe Atheum: *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus.* Pſalm. 13. Videlicet impius Divinę legi obtemperare detrectans, & ſuos tantum ſenſus, vel ad ſummum, rationem ſuam conſulens, pro conſcientię ſuę tranquillitate credere vult, vel ſaltem cupit, nullum eſſe Deum. Plerique fidelium hujus ſæculi ſunt in fatali hac diſpoſitione, quæ ad Atheiſmum accedit. Speculativæ veritates illos non movent; pro practicis vero quę incredulitas! quę dubitatio! Quæ incertitudo! *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Pſalm. 35. *Fromentieres; Sermone de Aſcenſione.*

Per gradus jugum excutitur: De Religionis veritatibus diſceptatur: hęc pœnarum æternitas, quę nobis intentatur, ſatis ne probata eſt? Datur ne vere Infernus, ut dictitant? Quis illinc nuntius acceſſit? Neque ſufficit dubitatio, ut tranquilla pace fruamini, ſed veritatum harum ipſa etiam cogitatio penitus auferenda eſt. *Exinanite uſque ad fundamentum in ea.* Quæruntur illi, qui vivendi, credendique licentiam præſeferunt; impia volumina, omneſque Atheorum blaſphemię cupidiſſime perleguntur; rerum omnium ratio expoſcitur, ſancta ipſa Myſteria in jocum traducuntur, & nebulonis irriſionibus major habetur fides, quam cordatiſſimorum Doctorum auctoritati. *P. Cheminais tomo 3.*

Quamcumque ſpiritus vim impii, atheique jactitent, nequaquam majora habent lumina, quam quę S. Auguſtinus obtinuerat; hi nequaquam diligentius Religioni ſtuduerunt; neque longius a fide aberraverunt; illum tamen hujuſmodi conſiderationes ad frugem revocarunt. Videbam, ait ille, vitę huic nullam habendam eſſe rationem; ſi mihi contigerit morte deprehendi, ajebam; undenam ediſcere potero eam veritatem, quam neſcio? Quo in ſtatu mihi ex hac vita abeundum erit, quin id didicerim, quod nonniſi ſuis ſumptibus diſcitur? Si Deus adeſt impietatis ultor, quemadmodum ambigere nefas eſt, quomodonam pœnas effugiam negligentię adeo nefarię, qualis hęc mea eſt, debitas in re tanti momenti? *Idem.*

Atheorum cæcitas.

Deus non eſt abſconditus, Tertullianus ait, ipſe ſeſe omnibus prodit, qui ex viſibilium operum illius cognitione ad inviſibilium magnalium ipſius cognitionem ſeſe attollere cupiunt: *Deus in aperto conſtitutus eſt.* Quicumque de veritate eſſentiæ ipſius diſceptare voluerit, huic erit confligendum contra creatarum omnium rerum cohortem, quas Deus ad ſua ſtipendia evocavit, ut hominem ad Creatoris ſui cognitionem cogeret: *Tantis operibus notitiam ſui armavit.* Atheus ille, qui haberi vult tamquam perſpicaciſſimus, ac majori illuſtratus lumine, quam vulgo, cæteris majori laboret cæcitate opus eſt; deeſt quippe ipſi illud ipſum lumen, quod populis etiam barbaris intra ſaltuum opaciſſimos horrores affulget; atque Dei, primique principii cognitionem amiſit, quæ animæ ab ipſa creatione indita fuit, ita ut quamvis ipſa oculos claudat, & ſe per nequitiam excæcet, Deus tamen ſeſe illi exhibet, eamque cogit ſuam juſtitiam metuere. *P. Texier in Adventu, qui impius infelix inſcribitur.*

Impia Deiſtarum dogmata.

Cœli! crediſſetiſne in Eccleſiæ ſinu divino ſanguine irrigatæ, ac ſudoribus Dei, qui factus eſt Homo, oblitæ, inter uberrimos gratiæ fontes, prope ſaluberrimas baptiſmatis undas, inveniri poſſe animas adeo perditas, ut Chriſtianam Religionem cum Turcica, Ethnicaque conferrent? Minori zelo ſuccenſi pro JESU CHRISTO, quam vel Mahometanus pro Mahomete, vel Japonenſis pro Cami, & Fotochis ſuis invehere ea dogmata, eaſque argumentationes audent, quas ne barbari quidem vellent admittere. Deus magnus eſt Dominus, inquiunt; gloriæ ſuæ intereſt, ſi ſexcentis variis, variiſque rationibus colatur: bonus eſt Dominus; & miſericordiæ ſuæ refert ad ſe ſuas creaturas allicere ea via, quam nulla earum ignorare non poteſt: Deus potens eſt dominus, & abſolutæ poteſtatis ejuſdem eſt negligere, quid a nobis iſtic agatur. Poteſt ne lædi, cum ille ſit, qui eſt? Vult ſolum ſciri, quinam ſit, vult adorari; integrum relinquens hominibus, prout ipſis placuerit, eum venerari. Religionum ergo varietas non aliud eſt, quam viæ illæ, quas ſibi homines conſtituerunt, ſed quæ omnes ad eumdem finem deducunt. At per vos mihi liceat, hæc iniquitatis præterire myſteria, non quod argumentum hoc nimis exagerare verear; rudi enim ac imperfecta ratione ea tantum adumbravi, quæ quotidie in impiorum hominum ſocietatibus tranſiguntur. *Sermo manuſcriptus P. Stephani Chamillart in Reſurrectionis myſterium.*

Perniciosæ illationes quæ ex Socinianiſmo conſequuntur.

Non eam mihi depopoſci provinciam, ut horum impiorum fallacia argumenta ſingillatim exploderem; hoc mihi ſolum propoſui, ut eos fateri cogerem, nequiſſimam ſectam hanc ſibi nequaquam placere, niſi quatenus eam Religionem amplexi, jure impii eſſe poſſunt, impudici, ſceleſti; dummodo virtutis ſpeciem præſeferant, atque extrinſecus honeſti viri videantur. Si enim eorum placita, ac doctrinam admiſero, atque juxta eorum doctrinam arguere voluero, illis dicam: Nonne verum eſt, mulierem illam, quæ bene audit, integros annos in occulto adulterio verſari poſſe? Nonne verum eſt Judicem illum, qui Provinciæ terrorem injeciſſe videtur, ſummo zelo, quo juſtitiam ab omnibus ſervari ſtudet, alienis potiri bonis poſſe, quotieſcumque ſeſe obtulerit occaſio clanculum, ac ſecreto jus infringendi? Nonne verum eſt, bellicoſum hunc virum, cui quidam eſt inimicus fraterna cæde poſſe manus imbuere, dummodo id temporis momentum arripiat, quo omnes fallat, ita ut cædis auctor certiſſime lateat? Illi neceſſario omnibus his pernicioſis illationibus ſubſcribent; tunc enim ob eorum oculos propria ipſorum objiciam principia: Nonne Deus infinite ſupra nos eſt, nec Deus eſſet, ſi quid illi detrimenti peccata noſtra poſſent afferre? hæc ſcelera prohibentne, quominus colatur, & reliqua Religionis officia adimpleantur? Verum enim vero adeone perfrictæ frontis erunt, ut nequiſſimas has illationes approbent, atque confirment? Nequaquam temere judicavero, ſi hac in re non tam principium, quam quæ inde conſequuntur, quæri ab illis credidero. *Idem.*

In Religionis facto magis, quam alibi homini naturaliter non placet cæcorum more ambulare, & fortuito laborare; Cum ſciat ſe poſt mortem æternitatem ingredi, quæ poteſt eſſe vel beata, vel infelix prout vitam in terris bene, vel male geſſerit, ſummæ res plena lætitiæ eſt, certum eſſe, eam ſe ingreſſum eſſe viam, quæ ad beatam ducit æternitatem, ac ſpem ſuam certis inniti rationibus. Hinc illæ turbæ, ſollicitudines, dubitationes, interrogationes, interpretationes frequentes adeo, licet doctus, ac ſapiens ſit: ita ut numquam illum beatiorem exiſtimem, quam cum hac in re eam habet perſuaſionem, quæ in hac vita maxime perſpicua poteſt haberi, & rationabilem habet cauſam non ambigendi. Hoc illud privilegium eſt, quo ego, & vos fruimur omni tempore in Religione Chriſtiana, cum illi, qui extra Eccleſiam ſunt, ſive per hæreſim, ſive per ſchiſma, ſive per infidelitatem plurimarum dubitationum tyrannidi ſint obnoxii, ſtatim ac licentia, obſtinatio, ac adoleſcentiæ præjudicia eos in falſa Religione non retinent amplius, eiſque liberum relinquunt ſpatium eas recogitandi rationes, quibus ſibi perſuaſum eſt, ſe in errore verſari. Inviti etiam tunc norunt, ſe nihil ſolidum, cui uti nos, innitantur, habere. *Idem.*

Quicumque ſine Religione eſt, licet aureo fulgeret in ſolio, ac terris omnibus dominaretur, in honore non eſt, neque exiſtimatione ulla dignus habetur. Non ſolum ii, quibus cum illo nulla res eſt, eum contemnunt, & fugiunt: ſed ipſi etiam amici, ipſi adulatores, voluptatum, ac libidinum ſocii de illo nihil non humile, abjectum, & contumelioſum ſentiunt. Eum fortaſſe præſentem aliquibus laudibus excipiunt, coram illo fortaſſe aliquantulum thuris adolent ſummo cum quæſtu redimendum; ſed intra ſe eum contemnunt, & omni exiſtimatione indigniſſimum putant: Hic, inquiunt, ſine Religione eſt, ſine fide, ſine lege. Si Magiſtratum obtinet, omnes illum judicem reſpuunt, ac verentur, ut in manus ejus decidant: ſi mercaturam facit, nemo pravæ illius fidei credit, omnes falli metuunt; ex quo enim aliquis eſt irreligioſus, & exlex, omnibus ſceleribus, atque perjuriis par eſſe cenſetur. Si accola eſt, omnes illius occurſum evitant, & tamquam anathemate perculſus, vel gentilis habetur. *P. de la Rue in manuſcripto ſermone de Religionis veritate.*

Athei omnes vitioſi ſunt.

Pauci ſunt Athei (ſi qui tamen ſunt) qui vitioſi non ſint; nemo enim Deum negat, inquit Auguſtinus, niſi cujus intereſt, nullum eſſe Deum. Corporis corruptio tabem cordi communicat, cordis vero lues mentem inficit. Salomonis incontinentia eum idolorum cultorem effecit, neque lapideos, æneoſque Deos thure coluit, niſi poſtquam carneos adoravit. *P. Nepveu tomo 2. Conſiderationum Chriſtianarum.*

Nonne videmus Chriſtianos nunc temporis ſeſe in voluntariæ infidelitatis tenebras immergere? Quo enim alio nomine appellem ſtupidam tot mortalium indifferentiam, qui fortuito ſolum Chriſtiani eſſe videntur, qui nativitatis ſuæ felicitatem, ac dignitatem numquam recogitant: quo improbam ſemidoctorum perſpicaciam, qui de omnibus ambigunt, atque de ſuis dubitationibus gloriantur; quo irreligionem tot Prophanorum, qui parum adeo caute, immo nulla reverentia accedunt ad Altaria; quo ſcandalum tot flagitioſorum hominum, qui fidem ſuam impudicitiis mentiuntur: quo ſecretum tot impiorum Atheiſmum, qui externum oris habitum publicæ Religioni conformant, intrinſecus vero aliud ſibi omnino peculiare ſyſtema conſtituunt alterius Religionis, quæ a Chriſtiana prorſus abhorret? *Deſumptum ex MS. ſermone P. de la Rue de Religione.*

Inſignis flagitioſorum hominum imprudentia.

Licet etiam univerſum Religionis Chriſtianæ ſyſtema probabilis opinionis fidem minime excederet, licet tot ad eam evertendam rationes ſuppeterent, quot ad illam probandam concurrunt, licet affirmatio, & negatio eadem in ſtatera appenſæ ejuſdem ponderis viderentur, quod profecto non eſt; quænam prudentia, vel potius qui ſenſus eſſet, omne dubitationis hujus ſubire periculum; videlicet affirmativam ſententiam negligere, ubi impune errari poteſt, & optare negativam, ubi nequit errari, quin errori æterna calamitas hæreat? Non enim de hac idem ſentiendum, ac de aliis opinionibus, quæ hominum mentes diſtrahunt in diverſa. Quæcumque æſtus maris ſit cauſa, quid ad me, niſi rem acu tetigero? At utrum Paradiſus exiſtat necne, utrum anima mea ſit immortalis, an ſecus; hac in re non niſi cum animę ipſius detrimento errare poſſum. Ad hæc: ſi credidero, & ea, quæ mihi a Chriſtiana Religione propoſita ſunt; adimplevero, atque mortis tempore ea vera eſſe, quæ crediderim, invenero; nihil profecto in vita amiſero & e contra honeſtatis exiſtimationem, laudem, & honorem, quem virtus meretur, adeptus fuero. Si voluptates omnes mihi interdixero, illis turbis, ac ſollicitudinibus, quas illæ ſecum trahunt, me ipſum expedivero, & jugi, ſuavique rectæ conſcientiæ tranquillitate gaviſus fuero &c. *Idem.*

Utique Fideles: noſtris his etiam temporibus adſunt Athei complures; hoc enim nomine appello eos Spiritus Fortes, qui ut ſeſe ab aliis diſtinguant opinionibus inauditis, noviſque ſententiis, pręcipuas Religionis noſtræ veritates in ludibrium vertunt, intra ſe fictas, ineptaſque rationes excogitantes, ut illud ipſum, quod ſæpe & illi ſentiunt, explodant, & ut inanibus argumentis magna hæc Chriſtianę Religionis dogmata eludant, quæ Tertullianus ſcite vocat, teſtimonia animę naturaliter Chriſtianæ &c. *Deſumptum ex Sermonibus moralibus.*

Chriſtianorum plerique Atheos mutuantur neque magis, quã illi, Religioni adhærent.

Quid fecerunt Athei, ut in tantam cæcitatem laberentur, quod hodie quoque quamplurimi Chriſtiani non faciant, & fortaſſe, vos quoque faciatis? Dei Veritatem in injuſtitia retinuerunt: nonne vos ipſi hanc eamdem veritatem in ſervitute retinetis, cum in vobis eos non parit effectus, quos deberet, vitæ videlicet reformationem, inordinatorum affectuum mortificationem, horrorem peccati, omniumque occaſionum, quæ vos in illud impellunt? Antiqui illi, S. Paulus ait, cum Deum cognoviſſent, eidem minime eam, quam merebatur, gloriam tribuere; numquid hanc illi tribuitis obedientia veſtra, cultu, gratitudine, amore? *Idem.*

Quamvis natura, & ratio Atheos non patitur, & nequiſſimi peccatores hoc nomen oderunt, qui quamtumvis parum Religionis habeant, honoris, & conſcientiæ ſuę intereſſe putant, fateri Deum; verum eſt tamen aſſerere, ſi nulli ſunt Athei mente, plurimos eſſe corde, & ſi raro inveniuntur homines adeo perditi, frontiſque adeo perfrictæ, ut Dei negent exiſtentiam, plurimos tamen cœcos eſſe, & inſipientes, qui ita agunt, ita vitam inſtituunt, quaſi non eſſet Deus. Ita eos voco, quos carnis voluptates brutis animantibus adeo ſimiles effecere, ut affectuum ſuorum nexus, & rationis ſopor illos quodammodo letargicos præbuerint; qui

Pa-

Paradiſum, ac Infernum adeſſe credentes, ad illos animum nihilo magis advertunt, quam qui magnis hiſce Fidei noſtræ veritatibus imbuti non fuere. *Joly 2. Tomo Propoſitionum ſuarum.*

Mala, quæ ex Atheiſmo conſequuntur.

Nonne verum eſt, futurum ut ſi nullus in natura Deus eſſet, virtutibus omnibus indiceretur exilium; ſceleribus omnibus venia permitteretur, dummodo deliteſcerent; inhoneſtæ quælibet actiones tamquam non malæ haberentur, ſi poſſent humanæ juſtitiæ pœnas effugere? Profecto quodcumque ſcelus, licet graviſſimum niſi prohibeatur, & niſi ſuprema potentia illud pœnis coerceat, licet. Sin autem nullus in Mundo Deus eſt; nullus profecto Dominus eſt, qui contra ſcelera leges irrogaverit, & qui debitas illis pœnas infligere valeat. Sequitur ergo neceſſaria illatione; ſcelera quæcumque licere, ſi Deus non eſt: ſi divinitas ſomnium eſt, nullus eſt legislator ſupremus, nullæ ſunt leges: ſi leges nullæ; nulla jam inobedientia, nulla rebellio. *Liber qui inſcribitur, Divinitas contra Atheos propugnata per Abillon.*

Ex voluptatis abyſſo in Atheiſmi abyſſum fit lapſus: Sanctiſſima fidei myſteria in jocum traducuntur; ubicumque impietatis dogmata effunduntur, & poſtquam abierunt in viis peccatorum ſedent in cathedra peſtilentiæ, ubi ſermonibus æque, ac exemplis vitium palam docetur. Si impii certi eſſent, nullam hominis partem poſt mortem ſupereſſe, non injuria fortaſſe voluptatibus ſeſe manciparent, cum nihil melius, quod ſperarent, haberent: at ſaltem illis dubitandi locus eſt, atque inſania eſt omni venia indigniſſima, incertæ dubitationi tanti momenti negotium committere. Malunt nequiſſimis Atheorum, qui in ſingula ſæcula prodiere, ineptiis, quam Prophetarum oraculis credere; malunt ſequi corrupti cordis errores, quam lumen rectæ rationis. *Auctor Anonymus.*

Rarum eſt, peccatorem, cui propoſitum eſt nihil ſibi metuendum, fidelem adhuc veritatibus Religionis hærere; quæ profecto nimis terribiles ſunt, quam ut ab impuriſſimo credantur. Flagitioſi illius, qui inter libidinum æſtum malacia vult frui, ac impietatem ſibi tranquillam efficere, nimium intereſt terribiles has exuere ideas, quæ ipſi jugiter exhibent Deum ultorem, igneſque ad ſcelera ſua punienda ſuccenſos. Rationis licet illi lumina abjicienda eſſent; fidei lumina abjicit; licet inſanus, ac fatuus videri deberet, conſcientiæ ſuæ ſilentium indicit, cordi tantum ſuo præbet aures, quod unum ex univerſa rerum natura, Deum nullum eſſe, teſtatur. Et quamvis prodigioſus hic error æque incomprehenſibilis eſſet, ac omnia fidei noſtræ myſteria; quandoquidem irridet, ac noſtris velificatur affectibus, certiſſime præferetur. *Alius Auctor Anonymus.*

Irreligioſus ſeram probitatem intueri non patitur.

Admiraris fortaſſe hunc Spiritum fortem, perſpicax hoc ingenium, qui per incredulitatem ſuam ſe putat in eorum tranſiſſe caſtra, qui omnem abjecerunt errorem, qui per ſuperbiam ſeſe ſupra ceteros, & per impietatem ſupra Religionem ipſam ſe attollit; & qui per virtutem omnibus etiam naturæ infirmitatibus ſe ſuperiorem affectat: ſed fode parietem, abyſſum cordis ejus ſcrutare, ac invenies honeſtum hunc hominem nulli addictum Religioni, reipſa non aliud eſſe, quam fictum ſapientem, qui perſonam gerit, hypocritam, qui alium ſe ſimulat, nebulonem qui nobis imponit: phantaſma ex inani ſpecie conflatum, cui nihil reale præter dolum eſt, & qui poſtquam mortales decepit, poſt ſe non alium relinquit, quam famoſum nomen cum horrore conjunctum. *Idem.*

Si primus ille deeſſet Motor, qui eſt veluti anima, ac mens hujus Mundi, omnia hujus movens machinamenta, exiles æque, ac magni naturæ motus ceſſarent, ſtudia, odia, antypatia, ac ſympathia tot entium diverſorum ſuſpenderentur; tot entium inquam, quæ ſimul quibuſdam velut catenis vincta, tamquam tot rotæ aliæ aliis conjunctæ, vel mutuo ſeſe trahunt, ſibique adhærent, vel ſe propellunt, ejiciuntque; tot entium, quæ ſpecie quidem ſibi adverſari videntur; re autem vera conſentiunt, & harmonico diſſenſu ad Mundi hujus conſervationem, perfectionemque conſpirant. *Deſumptum ex libro cui titulus; Veritas Religionis Chriſt. Marchionis de Planetia.*

Dei cognitio animabus noſtris impreſſa eſt.

Primi illius Principii cognitio adeo naturalis eſt, ac ita per ſe patet, ut nullus umquam extiterit populus, nullumque ſæculum, cui communis minima fuerit. Lumen hoc omni tempore effulſit non ſolum ob doctorum, verum etiam ob oculos imperitorum, ac rudium. Homines negantes Divinitatem, monſtra ſunt, raro occurrentia, vel potius proprie loquendo nulli ſunt Athei; cum qui ſe Atheos eſſe præſeferunt in ſpeciem tantummodo ſint, ut aliquo prætextu ea ſibi licere putent flagitia, quæ Dei fide prohibentur. Illi ipſi apertiſſimi Divinitatis hoſtes inviti ſępius, ac ne cogitantes quidem illam fatentur, ubi eos aliqua premit egeſtas, & malum aliquod accidit, ubi facere nequeunt quominus illius opem implorent, quem ſe nequaquam cognoſcere profitentur. *Idem.*

Væ Mortalium mentibus ſua malitia occæcatis! Væ cordibus inſipientium tenebris peccatorum obſitis! O Domine! Cœlum, & terram imples, & tamen a pluribus non agnoſceris: omnibus intime præſens ades, & ignoraris. Omnia creas, formas, nutris, perficis, ſuſtentas, gubernas; & te horum omnium fontem, & auctorem negant. Omnibus das eſſe, & te eſſe non credunt. Infinitis modis tuam potentiam, ſapientiam, bonitatem, miſericordiam, & juſtitiam prodis, omniumque oculis ingeris, & tamquam cæci non percipiunt. Omnis ſe natura rerum prædicat, & ad prædicationem illuſtrem obſurdeſcunt. *Cœli enarrant gloriam Dei & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Pſal. 18. Omnia clamant; *ipſe fecit nos, & non ipſi nos:* Pſal. 99. Ipſe, non fortuitus atomorum concurſus; Ipſe ſua potentia nos ex nihilo in hanc lucem eduxit, ipſe ſua ſapientia formavit, & hanc ſpeciem, & pulchritudinem impreſſit; ipſe ſua bonitate conſervat, ſua providentia gubernat, & in ſuum finem dirigit ſingula. Clamor ipſe totius creaturæ toto orbe perſonat, ut neminem latere queat, niſi qui Dœmone ſurdo obſeſſus tenetur, *Leoſius ad finem libri de Immortalitate animorum.*

Nihil iniquius, nihil nequius eſt ea libertate, quam audaciſſimi quidam ſibi vendicant, qui Religionis principia audent rejicere, ut infirma ratio ſua triumphet, atque tenui ſuo lumine ſeſe ſupra Sanctiſſimas leges, ac ſacratiſſima Chriſtianæ Religionis Myſteria conſtituant. Nihil magis ſuperbum inveniri, vel fingi poteſt, quam hi Spiritus fortes, qui audaces oculos non verentur in eas veritates conjicere, quas Apoſtoli quoque ſe intelligere minime poſſe confeſſi ſunt, & in quibus humiliter oculos ſuos inclinarunt; hi nomine tenus Chriſtiani, teterrima infidelitate revocant jusjurandum, quod in Baptiſmate protulere, ac Apoſtatæ fiunt. Attamen quid in terris vulgatius eſt, quam hæc licentia, quam ſibi arrogant in dubium accerſendi Religionem Chriſtianam, quia cum affectibus ſuis conſentire non poteſt, præſertim vero quid hoc uſitatius apud eos qui inter divitiarum affluentiam, & omnia vitæ commoda verſantur? nihil enim in hac Religione invenitur, quo ignarum, ac mole hoc vivendi genus non damnetur! *Sermo manuſcriptus.*

Impiorum character.

Mecum, quæſo, animadvertite quinam ſit horum audaciſſimorum, rebelliumque hominum, qui noſtram Religionem audent oppugnare, character, & quodnam tempus arripiant, ut de miraculis, ac doctrina ejuſdem diſceptent. Hi plerumque flagitioſi homines ſunt, qui triſtem mortis recordationem evitaturi, animas immortales eſſe non credunt, qui ne voluptatibus, quarum illecebra gaudent, moras nectant, ſuam in hoc mundo felicitatem conſtituunt, atque affectibus ſuis, quorum quodam ſopore illecti capiuntur, blandituri neque Paradiſum, neque Infernum, neque Cœlum, neque Æternitatem credunt rati omnia cum morte eſſe interitura. Non hic morabor, ut vobis oſtendam iniquitatem eorum argumentorum, quæ in facto Religionis ab impiis hujuſmodi afferuntur; ex quo enim hujuſmodi ſenſus alunt, ſatis intelligitis omnia ipſorum argumenta rejicienda eſſe. Hi libidinoſi homines ſunt, qui JESU CHRISTI diſciplinam rejiciunt ea tantum de cauſa, quia ipſorum impudicitiæ, atque libidini adverſatur, & qui ſancta Religionis dogmata idcirco impugnant, quod illa obſervare detrectant. Hi denique ſunt Chriſtiani obdurati, atque impœnitentes, qui nolunt credere, CHRISTUM JESUM paſſum, ac mortuum pro ipſis fuiſſe, ſciunt enim ſe damnatum iri, eo quod cruciatus illius in fabulam traduxerunt. Hoc illud eſt, quod flagitioſos hos homines in temerariis viſionibus ſuis debet confundere; ſed quod illos magis

gis adhuc efficere debet contemptibiles, tempus eſt, quod ad hujuſmodi veritates impugnandas arripiunt. Quando enim de myſteriis noſtris verba facere geſtiunt? Nempe in ſceleſtorum hominum cœtu; cum libido fervet, cum inter ſcyphos & pocula teterrimis intemperantiæ vaporibus inebriati ſunt; aut voracibus impudicitiæ flammis ſuccenſi, tunc tenebricoſas rationes ſuas Chriſtianæ Religionis veritatibus gaudent objicere; & cum maxime affectuum calor æſtuat, tunc vel contra eos audent diſceptare, cum quibus humiliter verſari deberent, & verſarentur, niſi horum intuitus ſceleribus ſuis graves eſſent, atque moleſti, vel niſi ridiculam ſpirituum fortium auram tueri gauderent. *Idem.*

Impii, atheique nequaquam ea ſpiritus tranquillitate fruuntur, quam præſeferunt.

Nihil vulgatius eſt, quam Chriſtianos intueri fidem ſuam impugnantes; ſed audeo dicere nihil fortaſſe rarius eſſe, quam invenire, qui illam penitus in corde ſuo extinguant. Difficile eſt palam, aperteque omnia Religionis noſtræ myſteria videre; ſed longe difficilius tegere falſitatem inanium argumentationum, quæ adhibentur ad illius memoriam, & cogitationem penitus abolendam; ita ut poſſimus quidem propter temeritatem, corruptionem, audaciam, iniquitatem omnes Fidei articulos in dubium vocare, nequeamus tamen eam nobis pacem, & tranquillitatem conciliare quæ conſcientiam noſtram tutam efficiat. *Non,* dicit per Iſaiam c. 48. Dominus, *non eſt pax impiis.* Poſſunt quidem omnes Religionis amovere ſenſus, ut citra conſcientiæ ſtimulos corruptionem, ac impietatem animo foveant; Deus illos ſemper excitat. Nequicquam conantur vim Evangelicarum veritatum ſuffocare; Dominus enim efficit, ut omne illarum pondus maxime ſentiant; & ſi in eorum ſupplicium non ſtatim illis oſtendit, ipſos falli, oſtendit ſaltem, ipſos falli poſſe. Ut conſcientiæ ſuæ tranquillitati conſulant, adnitantur illi quidem ex turbata mente triſtes mortis, judicii, ſeveritatis Dei ultoris, æternique exilii quæ omnia merito peccatoribus intentata ſunt, ideas abolere, ebrietas hæc, qua ſoporem conſcientiæ ſtimulis conantur imittere, non diu viget: non deſunt adhuc intervalla quædam rationis, quibus permittit Deus ut terribiles has ſecum reputent veritates, ut in hac quoque vita pœnas luant ſuæ rebellionis, & impietatis. *Idem.*

Sincera confeſſio exiſtentiæ Dei.

Potens dextera, quæ vaſtos Cœlorum orbes extendiſti, quæ tam affabre molem hanc elaboraſti, atque motus omnes ſcite, atque conſtanter adeo inſtituiſti, ut poſt ſex annorum millia, nihil adhuc immutatum ſit! Brachium omnipotens, quod gravem hanc molem pendulam in aere ſuſtines, quod illi uberrimam fœcunditatem tribuis adeo juſta, ac neceſſaria temporum viciſſitudine! Magnus Opifex, qui ex nihilo hominem effinxiſti, cujus admirabilis ſtructura tot actionibus, motibuſque variis apta invenitur: qui illi animam inſpiraſti facultatibus præditam, ad ſexcenta officia apte diſpoſitis, quorum ſingula perſpicaciſſimas mentes confundere poſſunt: fierine poteſt, ut reperiatur, qui quærat adhuc, utrum ſis? Te in minutiſſimis floſculis invenio, in abjectiſſimis inſectis, & ut verbo me expediam, in minimis quibuſcumque rebus, & adhuc homines adſunt, qui exiſtentiæ tuæ quærant argumenta, neque credant a te univerſa hæc gubernari? Nonne fidei conſonum eſt, hujuſmodi homines cœcos eſſe, atque temeritatem ſuam ipſis communis ſenſus uſum ademiſſe, & majeſtatem tuam, quam propius adſpicere voluerunt, gloriæ ſuæ pondere illos oppreſſiſſe? *P. de la Colombiere, in Chriſtianis conſiderationibus.*

Quid fruſtra teritis tempus, o Præcones Evangelici? Nequicquam argumenta argumentis, ac demonſtrationes demonſtrationibus agglomeratis, Deum eſſe probaturi; quem enim tot laborum fructum percipitis? Scio equidem, quid impii dicant. Se enim nequaquam credere dicunt, neque vobis rem eſſe cum puſillis, infirmiſque ſpiritibus, qui facile impingant in retia, ac mancipia fiant fidei æque incommodæ, atque chymericæ; ſe vero jampridem excuſſiſſe jugum, ac ſe ſine ulla cura, ac metu vitam beatam traducere. Hoc dicunt quidem, ſed fruſtra nobis id perſuadere conantur. Si minime crederent, & fides jucundiſſimis voluptatibus ſuis jugiter amarum aliquid non inſpergeret, ſi omnes religionis ſenſus penitus extinxiſſent; næ illi quidem toties non audirentur in quæſtionem accerſere exiſtentiam Dei, & animarum immortalitatem; ſuas dubitationes proponere, quæ totius ſolutæ fuerunt, ad mortis cogitationem infrendere; ac ubi ſoli ſunt, in phreneſim incidere. Omnia illis de divinitate loquuntur; & ſi aures minime præbent tot vocibus indeſinenter hanc incudem tundentibus; nequicquam ſperatis illos rationibus veſtris expugnatum iri. Illis perſuadendum eſt, ut tandem e vitiorum ſuorum cæno emergant, in quo donec volutabuntur, ſatis quidem luminis habebunt, ut damnationem ſuam mereantur, at numquam ſatis, ut ſuas diſſipent dubitationes. *Idem P. de la Colombiere.*

Ratio deſumpta ex ordine, quem in mundo admiramur.

Præclara adeo præcipuarum Mundi partium diſpoſitio, ratio, ac mutua inter eaſdem dependentia, infinita particularium entium varietas, quorum ſingula ſuum uſum obtinet, atque officium, mirabilis viventium corporum ſtructura, ſpecierum eorumdem differentia, proprietatum, effectuumque ſuorum diverſitas, jugis generationum ſucceſſio, quæ Mundi jacturas reparat, efficitque, ut ſemper in eodem ſtatu ſubſiſtat, illud identidem per intervalla reſtaurans; hæc omnia liquido oſtendunt Mundi regimen ſortis effectum non eſſe; ſed infinite ſapientem, ac potentem providentiam, ideoque Dei exiſtentiam demonſtrant ... Tandem enim ullumne viguit umquam ſine Rege imperium, ullane ſine Magiſtratu Reſpublica, ulla ſine capite familia? Quinam ergo Mundus ex partibus adeo diverſis compoſitus, inter quas magis admirabilis, magiſque conſtans ordo refulget, quam in qualibet ſocietate, nullum Regem habeat, nullum Conſilium, cujus imperio regatur? Quinam fieri poſſet, ut omnia fortuito contingerent, & ſors ea præſtaret omnia, quæ nonniſi mens infinite ſapiens poſſet efficere? At quid hos incredulos perdat, ſatis intelligo; libidinoſæ, ac liberæ vitæ voluptas, impiorum librorum lectura, & perditiſſimorum hominum conſuetudine ſuffulta eos in hanc impulit mentem, & illud experti ſunt, quod Propheta inquit: *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus,* & ſtatim, *corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis. P. Mauduit, Oratorii Presbyter.*

Nobis hoc in loco res non eſt cum impiis origine, ac profeſſione, nullibi enim terrarum inveniuntur; namque omnes homines ab teneris uſque unguiculis in aliqua Religione alti, ac eruditi ſunt; ſed de lapſis Chriſtianis loquor, de ſecretis Apoſtatis, qui olim Chriſtianis veritatibus imbuti in impietatem proruerunt, quemadmodum vulgo accidit vel propter licentiæ amorem, vel propter ſociorum nequiſſimorum ſcandalum, vel propter impiorum librorum lectionem. Non deſunt hominibus hujuſmodi lumina; facile reminiſci eorum poſſunt, quæ olim didicere, & hodie quoque id credere, quod ſemper uſque ad corruptionis ſuæ tempus credidere: illis excitanda tantummodo fax eſt fidei, quam extinxerunt, ac repetendæ veteres Religionis ideæ, quas deleverunt. *Idem.*

Quid cogitandum de impiorum irriſionibus.

Irriſio cautio parum tuta eſt, ut flagitioſum hominem a Dei juſtitia, atque ultione incolumen præſtet; ridet, ac illudens ait, Deus fortaſſe adeo ſeverus non eſt. In altera lance ſtatuo Nationum omnium, quæ ſupremum hoc Ens agnoſcunt, conſenſum, admirabilem partium Mundi hujus ordinem, ordinatum Cœlorum motum, organorum in animantibus œconomiam, ſexcentaque alia ſtatuo, de quibus inutile eſt verba facere, ipſa enim ſatis per ſe loquuntur: *Cœli enarrant gloriam Dei:* in altera vero impius irridens hæc tantum collocat verba: *Hæc fortaſſe vera non ſunt.* Nos quoque illi reddimus: *Hæc fortaſſe ſunt vera.* Quam terribile eſt hoc *fortaſſe!* & quot quantiſque rationibus innititur! Ille ut antea quadam ſubſannatione reſpondet; ac vox per jocum prolata omnem hanc illi parit ſeveritatem. *Deſumptum ex Tractatu de humanis reſpectibus P. l'Anglois.*

Ut Religionis noſtræ veritas deprehendatur, ſatis eſt oculos aperire, & animum advertere ad ea, quæ ſtatim omnium hominum ratione pollentium animos perſtringunt. Quæ majeſtas, quinam fulgor in Myſteriis! qui nexus totius doctrinę! quæ eminens ratio! qui candor! quæ morum innocentia! quæ vis invicta teſtimoniorum, quæ trium ſæculorum ſpatio perhibita fuere a multiplici fidelium myriade, qui tunc ſapientia, ac modeſtia præ cæteris in mundo florebant, & quos ejuſdem unius veritatis ſententia in exilio, atque in vinculis contra mortis, extremique ſupplicii terrorem ſu-